UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Syntagma Ivris || Vniversi, Atqve Legvm || Pene Omnivm Gentivm, Et || Rervm Pvblicarvm Præcipvarvm,||

**Grégoire, Pierre**

**Francofurti ad Mœnum, M.D.XCIX.**

**VD16 VD16 G 2999**

Liber XXXI. De Pœnis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-97739

Visual Library

quando anima per peccatum venit vſque ad auerſionem ab vltimo fine, ſcilicet Deo: quia enim ille lapſus naturaliter eſt irreparabilis ſine medio, dicitur peccatum mortale, quod vita animæ, gratia Dei ſit, in ipſo enim viuimus & ſumus, ſicut ait D. Paulus, *Decret. Gratiani, D. Paul.* Et D. Ioannes, *in ipſo vita erat, D. Ioan. Euang. c.1.* Et Aratus, πάντῃ δ' διὸς κεχρήμεθα πάντες, *vbique autem omnes Deo indigemus.* Quando autem fit deordinatio circa auerſionem a Deo, & circa media, deordinatio reparari poteſt, diciturq; veniale. Sic ſtipendia peccati mors: gratia autem Dei, vita æterna, *D. Paulus ad Rom. 6. c.* Mortale aliter dicitur, voluntas retinendi aut conſequendi quod iuſtitia vetat, *c. 1. 15. q. 1.* Dicuntur mortalia peccata, criminalia, & capitalia, *c. vnum orarium, §. alias, 25. diſt.* nam peccatum cum conſummatum fuerit, generat mortem, *D. Iac. c.1. Et eſt,* inquit D. Ioannes, *peccatum ad mortem, aliud non ad mortem, epiſto. cap. 5.* Septem mortalia peccata eſſe inter Chriſtianos, nullus, vt opinor, ignorat: ideo de his nihil vltra, cum eo modo non tractentur in foro contentioſo, ac in foro conſcientiæ, &
15 exomologeſeos. ❡ Venialia † peccata ſunt quæ ex fragilitate hominis contingunt, quæ nullus homo vitare poteſt, *c. medicina, §. tres ſunt, de pœnit. diſt. 1.* non enim eſt homo, qui non peccet, *2. Paralip. 6. ad Roma. 3. D. Ioan. epiſt. 1. c. 1. c. vt cognouerunt, §. opponitur, de pœnit. diſt.* Quæ ſi negligantur, etſi minima, tamen conſuetudine diſponunt hominem ad mortalia, *c. vnum orarium, §. criminis, 25. diſt.* veluti cum per rimulas aqua nauim ingreditur, ſi non proſpiciatur, tandem naui ſubmerſionem minatur, *d. c. vnum orariũ, §. alias, 25. diſt.* Et veniale dum placet, mortale fit. Venialia peccata, *D. Auguſt. ad Seleucianum, epiſt. 108.* D. Auguſtinus enumerat, ideo non repeto. Venialia arbitror dici, ob facilem viam veniæ impetrandę: nam illa delentur facile modis in iure pontificio relatis, oratione dominica, eleemoſynis, *c. medicina, § proximo, de pœn. diſtin. 1.* ieiuniis, euchariſtia ſacroſancta, *c. ante finem, ca. panem, de altari, de pœn. diſt. 2.* presbyteri benedictione, *can. preſbyterum, 28.*
16 *diſt.* ❡ Originale † peccatum eſt, quod ex traductione naſcitur Adæ in omnes poſteros, qui ab eo per rationem ſeminalem proceſſerunt, in primo inſtanti creationis & transfuſionis animæ rationalis. Quod in Adamo quidem actuale fuit: nam per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors. Et ita in Adamo omnes peccauerunt, *ad Rom. c. 5. vide ca. quæris, de conſec. diſt. 4. & ca. placuit vt quicunq; ead. diſt. Magiſt. ſent. lib. 2. diſt. 30. videndus D. Thom. 1. 2. q. 81. ar. 1.* Originale peccatũ dicitur, infirmitas carnis, lãguor naturę, & concupiſcentia carnis, *c. illud relatũ, §. itaq; 15. q. 1.* cuius particeps omnis, qui ex coniunctione humana in lucem editur, *Pſal. 50. ecce in iniquitatib. &c. can. firmiſſime, de conſec diſt. 3.* Quodq; olim in lege, & tempore Abraami circuncisione, in Euangelica nunc baptiſmo eluitur, *c. ex quo eo.*

17 ❡ Decima † diuiſio, vt quædam ſint delicta, in quibus eſt locus pœnitentiæ: quædam quæ non admittant. Quæ vt intelligamus apertius, diſtinguimus hic forum conſcientiæ a foro ciuili, & controuerſiarum. In foro namque conſcientiæ perpetuo pœnitentiæ locus eſt, *l. inter claras de ſum. trin. C.* Venit enim Deus vocare peccatores, & eos ſaluos facere, ſi pœniteant, *Sap. 11. Eccl. 1. ad Roman. 2. Apocal. 2. ca. diaconi, 93. diſtin.* quia in perfecta pœnitentia Deus intuetur contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, & miſericordia ſua gratiam ſuppeditat & facit, *c. non ſufficit, de pœnit. diſt. 1. c. 1. de pœnit. diſtin. 3.* At in ciuili foro contentioſo diſtinguitur, an poſſit fieri declaratio, in præteritum non fuiſſe delictum: & tunc illud admittit pœnitentiam, *vt in l. 1. de cri. ſtellio. C. & in l. ſi adulterium cum inceſtu, §. 1. de adulter.* Aut delictum non poteſt reduci in priſtinum ſtatum, ſed remanet actus, vt homicidium, falſum, & ſimilia, & tunc crimina illa non admittunt pœnitentiã, *l. hi qui ſanctam, de apoſt. C.* Aut ſi poſſit in priſtinum actum reduci iterum quæritur, an is qui deliquit concitatus vel commotus a re, in quam deliquit, fuerit: & tunc admittitur pœnitentia, *l. 1. §. 1. de ſer. fug. in P.* Vel an aliunde, quam a re ea commotus deliquerit: & tunc ſi ex eo delicto datur actio ad conſequendum quantum interſit, admittitur pœnitentia, ſi ex ea deſinat intereſſe, *l. ex hoc edicto, § pen. de alien. iud. cau. fac. in P.* Si vero actio datur ad pœnam, & actio eſt pœnalis ex origine non admittitur pœnitentia, *l. qui ea mente, de fur. in P.*

❡ Vndecima † diuiſio, vt quædam crimina ſint priuilegiata, alia 18
quædam communia. Quæ diuiſio obſeruãda eſt in Gallia, vbi magiſtratus regii ſeculares habent poteſtatem iudicandi & condemnandi eccleſiaſticas perſonas criminali iudicio, in caſibus priuilegiatis, *Chaſſ. in tit. des iuſtices & droict d'icelles, §. 5. ad ver. s'il n'a grace in conſuet. Burg. Boer. deciſ. 297. num. 1. Guill. Bened. in repe. c. Raynutius, ad verb. & vxorem, deciſ. 2. n. 143. & ſeq.* Alioquin enim iure communi nullo modo eccleſiaſticæ perſonæ de criminibus coram iudicibus ſecularibus accuſari, vel damnari poſſunt: quantumuis contraria ſit conſuetudo, quæ improba eſt. *ca. 1. & 2. 11. q. 1. c. at ſi clerici, de iud. c. ſi diligenti, de for. com. c. ſi iudex laicus, de ſent. excom. §. item ſtatuimus, de ſtat. & conſue. coll. 10. in Authen. auth. ſtatuimus, de epiſ. & cler. C.* In ſtylo parlamenti, *tit. quor. cogn. ſpecial. pertin. ad regem,* caſus priuilegiati & regii ponuntur, de quib. principis magiſtratus contra clericos etiam cognoſcunt, quod firmauit regia iuſſio, *Guill. Bened. vbi ſup. nu. 144.* Delatio armorum vetita, & crimina, quæ ex ea ſequuntur. Quando poſtquam iniecit manum rex bonis, contra tutelam vel clientelam regiam, quam vocant ſaluagardiam, quippiam fuerit quis amolitus quod plurib. ſenatuſconſultis ratum eſt. Addit Boerius, *deciſio. 297. nu. 14.* crimen falſæ monetæ, læſæ maieſtatis, ſeditionis. Guido Papæ, *deciſ. 139. facit c. ex parte, de priui. ca. perpendimus, de ſenten. excom. dummodo monitio præcedat, ca. ſi iudex, eo. in 6.* late etiam diſputat aduerſus eccleſiaſticas perſonas, de crimine per illas commiſſo, notionem temporalis iudicis eſſe, ſi eaſdem in ipſo crimine etiam communi deprehendat in habitu, vel cum veſtibus non clericalibus. Inter crimina etiam priuilegiata, quibus ratio eccleſiaſticæ qualitatis non habetur, eo quod ex his priuilegium clericale perimitur, ſunt aſſaſſinatus, *c. 1. de homicid. in 6.* apoſtaſia, *c. 1. de apoſta.* ab armato clerico vt dictum commiſſum, quia is priuilegium amittit fori, *c. in audientia de ſent. excom.* Si clericus ſit hiſtrio, mimus, nec tertio monitus deſtiterit, *c. 1. de vita & honeſt. cler.* Si de gradu deiectus, exauctoratus clericus delinquat: mutat enim foro amiſſo priuilegium, *c. neminem, de verb. ſign. c. 2. de pœn. in 6.* Veluti ſi tanquam incorrigibilis antea fuerit depoſitus, *ca. cum non ab homine, de iudi.* Si clericus ſit coniugatus, non deferens tonſuram, *c. 1. de cleric. coniu. in 6.* Item ſi non ſit forum eccleſiaſticum, cuius defectu ſecularis de eccleſiaſtica perſona delinquente cognoſcet, *ca. princeps ſeculi, & ibi glo. 24. q. 5.* Si clericus carnifex, lanio, caupo ve factus ſit, nec monitus abſtinuerit ab his, *cle. 1. de vita & hon. cler.* Si bigamus, *c. 1. de biga. in 6.* ſi poſt admiſſum crimen fiat clericus, *Bart. in l. 1. de pœn. P. Iaſon. in l. cum quædam puella, col. 34. de iuriſdict. om. iud.* Communia crimina dicuntur itaque, de quibus iure communi poteſt iudex eccleſiaſticus inter perſonas ſui fori
cognoſcere, non autem temporalis. ❡ Duodecima † diuiſio, alia 19
eſſe regia crimina, alia non vtique. Regia illa ſunt, quorum notio ad magiſtratus regios, non autem ad magiſtratus iuridicos de minorum locorum pertinet: niſi ex indulgentia illis a rege permittatur. Inter hæc, regia crimina ſunt, delatio armorum, ſi cum turba, & hominum collectione fit, *in ſtyl curiæ parla. tit. quor. cog pert. ad regem, §. 1. de armis, in Auth. l. 1. vt armo. vſus inſcio prin. interd. ſit, lib. 11. C. c. clerici, de vita & honeſt. cler.* crimina, quæ admittuntur contra tutelam regiam ſeu ſaluagardiam, ſeu fidem publicam, vel aduerſus manus regiæ iniectionem, *d. tit. ſtyl. parlam.* notio de falſa moneta, de hæreſi.

# DE POENIS.

## LIBER XXXI.

### Quid ſit Pœna. Cap. I.

Lib. 48. P. tit. 19. Lib. 9. C. titu. 47.
In Decret. & in Sex.

1 *Pœna ſynonyma ſupplicium, vindicta, vltio.*
2 *Pœna vnde declinatum nomen habet.*
3 *Quid ſit.*

SEquitur † nunc vt in vniuerſum de pœnis tracte- 1
mus, & generali quadam conſideratione quę ad illas pertinent annotemus. Et primum quid pœna, & quare impoſita ſit, & dehinc de diuerſitate pœnarum. Pro eodẽ ponuntur pœna, vindicta, ſupplicium, vltio. ❡ Pœna, † inquit Varro, *4. de ling. Lat.* a puniendo, vel 2
ponendo. aut quod peccatum ſequitur, quaſi pone peccatum.

Adrianus Turnebus, *in commen. in Varro. annor. 42.* notat in vetere codice Varronis legi a pœniendo, pœnam dictam. Item legit & pœnam a pone, quod eſt poſt, declinari. Arbitror autem punio eſſe a pœna potius deriuatum verbum: vt enim dicebant antiqui pro munio mœnio, ſic pro punio pœnio. Vtrumq; autem a Græcis defluxit a ποινὴ ῆς, pœna, ποινὴ autem πόνος, teſte Gaza, vt annotat Iacobus Tuſanus, *in lexico.* ποινὴ ἐστι ἁμαρτήματος ἐκδίκησις. id eſt, *pœna eſt peccati vltio.* Nam vt ait Pauſanias, *in Laconicis.* τὰς τιμωρίας οἱ παλαιοὶ τῶν ἀνθρώπων, ὠνόμασαν ποινάς. id eſt, *vltiones ſeu puni-*
3 *tiones hominum antiqui dixere pœnas.* ¶ Pœnæ † itaque appellatio generalis eſt, ad omnia delicta pertinens. *Pœna*, inquit Vlpianus, *in l. aliud eſt fraus, 131. de verb. ſig. P. eſt noxæ vindicta: & pœna fraus, & ipſa noxa dicitur, quaſi pœna quædam præparatio.* Et Labeo pœnas eſſe ſingulorum peccatorum ait, *in l. ſi qua pœn. 244. eod.* Et volunt interpretes Homeri, *Iliad. 1.* in Iliade 1. ibi,

——εἵνεκα ποινῆς
Ἀνδρὸς ἀποφθιμένου, &c. Pœnæ nomine ſignificari cædis redemtionem. Iliade etiam φ. ibi,

——δώδεκα λέξατο κούρους,
Ποινὴν Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο θανόντος.

Iuſtam vltionem, & vindictam. Et proprie ποινὴν, eſſe quaſi φοινὴν, id quod ob patratam cædem perſoluitur, vt,

——καὶ μέν τίς τε κασιγνήτοιο φόνοιο
Ποινὴν ἢ οὗ παιδὸς ἐδέξατο τεθνειῶτος.

Quanquam apud eundem Homerum frequentius per ποινὴν, mulcta, & quod mulctæ nomine rependitur, ſignificetur, nec ſolum impenſæ in cædem, ſed qualeſcunque. Idem Euſtachius, *Iliade ς.* pœnam ἀντισήκωσιν, id eſt, compenſationem ſimpliciter, interpretatur.

## De Diſtinctione Pœnarum ex cauſſis puniendi.

## Cap. 2.

1 *Pœnarum tres appellationes ex diuerſis cauſſis puniendi.*
Κόλασις *pœna quid, eod.* νουθεσία *pœna. eod.*
παραίνεσις *pœna quid. eod.*
2 *Caſtigationis pœna quæ.*
3 *Pœnæ inuentæ ad emendationem delinquentium: & aliorum, qui eorum exemplo delinquere poſſent.*
*Veniæ facilitas dat delinquendi occaſionem eod.*
4 *Mala impunita diuturnitate temporis creſcunt.*
5 *Punienda quare cito delicta.*
6 *Peccatum ob vnius ſæpe affligitur ciuitas.*
7 τιμωρία *ſpecies pœnæ quid.*
8 *Pœnæ imponendæ ratio alia, conſeruatio dignitatis læſi.*
9 Amande honorable *quid.*
10 παράδειγμα *quæ pœna.*
11 *Pœnæ alia ratio ſtatuenda, vt ceteri a ſimili maleficio punito terreantur.*
12 *Pœna quare interdum bruta affecta, & res inanimata.*
*Canes furca ſuſpenſi. eod.*

1 EX † cauſſis tribus puniendi, tres quoque pœnæ diuerſas appellationes philoſophis placuiſſe refert Aulus Gellius, *lib. 6. c. 14.* Vna eſt, quæ νουθεσία, id eſt, commonitio, in mentem reductio. Vel κόλασις, id eſt, animaduerſio ſcilicet, vel punitio. Vel παραίνεσις, id eſt, admonitio, dicitur. Cum pœna adhibetur caſtigandi atque emendãdi gratia, vt is, qui fortuito deliquit, attentior fiat, & emendetur. Simplicem & leuem correctionem eſſe νουθεσίαν, admonitionem exiſtimo. Et plus eſt ἐπιτιμᾶν, increpare, quam νουθετεῖν, vt conſtat ex loco Syneſii, νουθετήσας οὐκ ἔπεισα ἐπιτιμήσας ἠρέθισα. Ideo præcedere hanc monitionem, ſeueram pœnam exiſtimo, vt apud D. Paulum, *ad Titum c. 3.* αἱρετικὸν ἄνθρωπον μετὰ μίαν καὶ δευτέραν νουθεσίαν παραιτοῦ, εἰδὼς ὅτι ἐξέστραπται ὁ τοιοῦτος, καὶ ἁμαρτάνει, ὢν αὐτοκατάκριτος, id eſt, *hæreticum hominem poſt vnam aut alteram admonitionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt, qui huiuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio iudicio cõdemnatus.* Correctio illa & poteſt eſſe priuata, dum verbis quis monet, vt deſiſtat a peccato, vt apud D. Matthæum, *ca. 18 c. ſi peccauerit, 2. q. 1. c. nouit. de iudic. c. 2. ca. cũ dilectus c. pen. de accuſa. ap. Gregor.* Dominus ait, *ſi peccauerit in te frater tuus, corripe eum, inter te & ipſum ſolum.* Alia publica & manifeſta, quam pœna ſequitur, vt illa *ſi non audierit eccleſiam, ſit tanquam ethnicus & publicanus.* Plus autem proficit correctio apud prudentem, quam decem plagæ apud ſtultum, *Prouerb. 7.* Quia peruerſi difficile corriguntur, *Eccleſiaſtes, cap. 2.* Et qui odit correctionem, minuetur vita, *Eccleſ. c. 19.* & hoc odium eſt veſtigium peccatoris, *Eccleſ. c. 21.*

¶ Nec † amat peſtilens eum, qui ſe corripit, *Prouerb. 15.* παραίνεσις idem eſt, ſed correctionem explicat κόλασις: nam & medici κολάσαι, dicunt emendationem redundantis alicuius per alterius rei admixtionem, hoc eſt, καθελεῖν eſt ταπεινῶσαι. Nam & habet caſtigatio hæc ſeu emendatio, temperamẽtum ſupplicii cum miſericordia: caſtigatur enim delinquens, vt peccator, ſed ei indulgentur aliquantum pœnæ, vt homini & ad peccandum prono, *c. duo, 23. q. 4. c. qui ſyncera, 45. diſt. c. diſciplina, eo. ca. fraternitas, 12. q. 2.* Sic publicam correctionem debet præcedere admonitio priuata, qua tentemus, num ægroto delinquenti poſſit ſalubre remedium eſſe, *c. accuſatio, in 1. § ſi. 2. q. 7. c. ad finem, 23. q. 5.* Et poſt priuatam, publica admonitio hæc, quæ correctio eſt, ſequitur, id eſt, pœna eſt quædam ad emendandum homines inducta, qua tentant nomothetæ meliores reddere. Et quamuis aliquando videatur reus incorrigibilis, & inſanabilis: tamen remedia quædam & pœnas ordine ſeruato imponi oportet, vt exploremus ſi forſan emendetur. Non ſecus quam in morbis deſperatis medici, quamuis mortis proximæ præſagia cognouerint: tamen pharmaca propinare non omittunt ægrotis, & congrue medentur, *c. Nabuchodonoſor, §. item qui, 23. q. 4.* ¶ Proinde † prior hinc colligenda ra- 3
tio, cur pœnæ inductæ ſunt: nempe ad emendationem & correctionem hominum delinquentium, *l. ſi pœnam, de pœn. in P. c. prodeſt ſeueritas, 23. q. 5. l. 1. de iuſt. & iur.* & aliorum, qui horum exemplo delinquere poſſunt. Quod & firmat Demoſthenes, *contra Neæram.* Et Plato, *lib. 34. in Gorgia. Conuenit*, inquit, *omnem, qui ab aliquo recte punitur, vel ipſum fieri meliorem: vtilitatemq; percipere, vel ceteris exempla dare, vt illi pœnas aſpicientes meliores efficiantur. Quidam vero apud Deos & homines ita dant pœnas, vt vtilitatem aliquam referant, ſi ſunt qui peccata ſanabilia commiſerint, quibus dolor cruciatuſque prodeſt, & apud homines, & apud inferos: non enim poteſt aliter quis ab iniuſtitia liberari. Qui autem extremam iniuſtitia detinentur, ac propter huiuſmodi delicta ſunt inſanabiles, non pro eorum vtilitate dant pœnas, ſed in exemplum aliorum.* Sic intereſt ſemper reipubl. delicta puniri, *l. ita vulneratus, ad l. Aquil. l. ſi longius, §. 1. de iudiciis, l. in delictis, §. cum dominus, de nox. actio. l. Stychum aut Pamphilum, de ſolutio. in P.* & pœnas ob maleficia ſolui magna ratio ſuadet, *l. ſi a reo, 7. §. fin. de fideiuſſ. P.* vt quos maiorum exempla a malis non reuocant, pœna caſtiget, *l. 1. de emen. propinq. C. ca. vt clericorum, de vit. & hon. cler. c. cum in cunctis, §. clerici quoque, de elect. ap. Greg. c. plurimos, 82. diſt. ca. felicis, § in pœnis, de pœn. in Sexto. Quoniam*, (vt inquit Theodericus rex Gotthorum) *emendatio malarum rerum nos delectat, ne conceſſa videatur ex taciturnitate male agendi licentia, Caſſio. lib. 3. Var. epiſt. 31. Theoder. ad ſenatum Rom. & lib. 2. epiſt. 13. Saioni. o conſuetudo peccandi*, vt ait Cicero, *5. in Verrem, quantam habes iucunditatem in improbis & audacibus, cum pœna affuit, & licentia conſecuta eſt?* Iuſſum eſt rectoribus prouinciarum, ne ſinant crimina coaleſcere, ſed puniant, *l. per omnes, de defenſo. ciuita. C.* ne facilitas veniæ incentiuum tribuat delinquendi, *c. vt clericorum, § 1. de vita & hon. clerico.* Quia impunitatis ſpes, magna, teſte M. Tullio Cicerone, *pro Milo.* eſt peccandi illecebra. Et ita metu pœnæ futurum, ne quis temere ad delinquendum proſiliat, *l. ſi operis publici, C. de pœn.* ſitque inter homines innocentia, *c. factæ ſunt autem leges, 4. diſt.* Alioquin enim ſocietas hominum vlla vix conſiſtere poterit, niſi corrupti mores emendentur. Ex quibus paulatim tabe infecta neceſſarium eſt, vt tandem intereat, niſi celeriter ab initio ſubueniatur: vt in morbis corporis accidit, teſte Dione, *lib. 4. hiſtor.* & Cicerone, *in Vatinium, & Philipp. 9.* Nam vltio, aut pœna, remedium eſt, ſecundum Ariſtotelem, *1 Rheto. ad Theod. c. 14.* ¶ Malum † autem, cum per- 4
ſeuerat, augetur: & remedium eſt contra peccatum accelerata correctio, *Theodericus Aurigeni viro venerabili, apud Caſſiodor. lib. 3. Variar. epiſt. 14.* Tanto enim ſunt grauiora peccata, quanto diutius detinent animam alligatam, *c. cum tanto, c. 11. de conſuet. lib. 1. Decret. tit. 4. c. cum in eccleſia, de ſymo. c. cum haberet, de eo qui dux. in ma. quam poll. per adult.*

*Nam, Ouid. 1. de remed. Amor. mora dat vires, teneras mora percoquit vuas,*
*Et validas ſegetes, quæ fuit herba facit.*
*Quæ præbet latas arbor ſpectantibus vmbras,*
*Quo poſita eſt primum tempore, virga fuit.*
*Tunc poterat manibus ſumma tellure reuelli,*
*Nunc ſtat in immenſum viribus aucta ſuis.*
*Principiis obſta, ſero medicina paratur,*
*Cum mala per longas conualuere moras.*

Et paulo poſt.

*Vidi*

*Vidi ego quod fuerat primo ſanabile vulnus*
*Dilatum longæ damna tuliſſe moræ.*

Erit itaq; e republica, cito de maleficiis exigi pœnas, & tūc ea pro-
be gubernari dicetur, auctore Platone, *lib 2. dialo de Amato. vel de*
*philoſoph.* quando improbi dabunt pœnas, exiguas inquā, ſi emen-
dari poſſint delinquentes: ſin minus, extremas & ſeueras. Pœna-
rum namq; acerbitas ſæpe cogit eos, qui leuitate peiores fiunt. *l.*
*1. de iuſt. & iur. P.* ideo in illis plus ſeueritatis, quam benignitatis
accedere expedit. *ca. fraternitas, 12 q. 2. c. ſeq. & c. illud, 24. q. 3.* Et
5 mors, vbi deſperatio emendationis eſt, infligitur. ❡ Atq; † neceſ-
ſarium eſt ferro abſcindi vulnera, quæ fomentorum non ſentiūt
medicinam, *c. quia aliquanti, 82. diſt.* vt vulgare axioma medicorū
eſt, extremis morbis extrema eſſe remedia adhibenda. Et nō cor-
ripere malos, ſed eos fouere, eſt eoſdem occidere. *c. qui vitiis 23.*
*q. 5. c. ſed illud, 45. diſt.* Meliuſq; cum ſeueritate diligere, quam cum
lenitate decipere. *ca. non omnis, & c. non oſculatur, 5 q. 5.* Et caritas
non eſt, ſed languor, vbi mali mores digna pœna non caſtigātur.
*c. non putes, & c. ſeq. 23. q 5.* Atq; de his, & de puniendorū delicto-
rum ordine audiamus Polybium ita loquentem, *in fin. 1. lib.* *Non*
*modo*, inquit, *vlcera in corpore hominum quædam recrudeſcere, vt*
*ſanari nullo modo poſſint: ſed id longe magis humanis animis accide-*
*re. Vt enim vlceribus euenit, vt ſi illis medicamentum curandi cauſſa*
*adhibeas, vlcus ipſum vi medicaminis refricatum augeſcit; ſi vero cu-*
*ram eius negligas, longa magis ſua ipſius natura extenditur, neq; prius*
*definit, quam omne ſubiectum corpus corruptum, labefactum ve ſit.*
*Ita animis quoq; conſimiles interdum morbi & tales accidunt, vt nul-*
*lum ex reliquis animalibus homine atrocius atq; efferatius fiat: cui ſi*
*interdum veniam aut impunitatem cōceſſeris aliquam, aut benigni-*
*tate fueris eum promeritus, id omne, dolum fraudemq; exiſtimans, er-*
*ga beneficium longe ſit magis inſidus. Si vero ei te oppoſueris, nihil eſt*
*adeo ferum, crudele, nefarium quod non facile aggrediatur, laudem*
*ſibi eam temeritatem exiſtimans, donec ad extremum omnino effera-*
*tus animus humanam naturam eruit. Quarum rerum initium, ac*
*ſane maiorem partem, mali mores adferunt, & deprauata a teneris an-*
6 *nis educatio.* Hactenus Polybius. ❡ Hoc † itaq; commodum reſ-
publ. recipiet ex pœna debita immedicabili malo, vt ſaltē alii non
inficiantur ab hoc qui ſublatus erit. Item ne ob delictum impu-
nitum, grauius in alios eiuſdem ciuitatis homines contingat: ſæpe
enim ob vnius delictum, dum non vindicatur, Deus in vniuerſum
iraſcitur populum. Sicuti explicat Heſiodus,

πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ,
ὅς τις ἀλιτραίνει, καὶ ἀτάσθαλα μηχανάαται.

id eſt:

*Sepe ciuitas vniuerſa ob malum virum punitur,*
*Qui peccat, & iniqua machinatur.*

Polluitur ex vno peccatore populus, ſicut ex oue morbida grex v-
niuerſus inficitur. Et vno fornicante, vel aliud quodcumq; ſcelus
cōmittente, plebs vniuerſa pœnas patitur. *ex Hieron. in Hieremiā,*
*in c. ſed illud, 45. diſt. ca. fertur, 1. q. 1 ca. reſecandæ, 24. q. 3.* Ex ſcelere
vnius Achami, quod de anathemate hoſtium accepiſſet pecuniā
& regulam auream, Deus vniuerſum populū Iſraelem affligebat,
donec is fuit de media pœna ſublatus. *Joſuæ, c. 7. ca. eccleſias, 1. q. 4.*
Propter peccata non caſtigata filiorum Heli ſacerdotis, populus
in manu Philiſtinorum corruit. 1. *Reg. c.* 4. Ob Ionæ peccatum ſuſ-
citata periculoſa in nautas tempeſtas, donec ille fuit in mare pro-
iectus. *Ionæ* 1. Sunt his ſimilia exempla, quibus oſtenditur dilu-
cide vnius ob delictum alios ſæpe puniri. *c. ſi gens Anglorum, 56.*
*diſt. c. ſi ea, 23. q. 4. c. non turbatur, 24. q. 1. c. ſi quis cum militibus, 6. q.*
*1. c. in ſumma, 1. q. 4.* Et interdictio ſacrorum fit pluribus, pro vnius
cuiuſdam delicto. *ca. ſi quis epiſcopus, 11. q. 3 & c. ſeq. c. non eſt vobis,*
7 *de ſponſalib.* Item & excommunicatio. *c. minor. 17. q. 4.* ❡ Altera †
ſpecies & nomen aliud pœnæ, τιμωρία Græcis dicitur, eamq; cauſ-
ſam animaduertendi eſſe tradunt, cum dignitas auctoritasq; eius,
in quem peccatum eſt, tuenda eſt: ne prætermiſſa animaduerſio
eius contemtum pariat, & honorem eleuet. Idcirco id ei vocabu-
lum factum a conſeruatione honoris putant. *Gell. lib. 6. c. 14.* Eſt
enim τιμὴ, honor. Vnde etiam & apud Homerum τιμὴ quoq; pro
pœna, pro vindicta, ad reſarciendum honorem, vt *Homerus*
*Jliad. 1.*

τιμὴν ἀρνύμενοι Μενελάῳ, σοί τε κυνῶπα
πρὸς Τρώων.

*A Troianis pœnas repetentes.*

Et rurſum apud eundem, *Iliade* 3. conuenit in monomachia Ale-
xandri, & Menelai.

εἰ δὲ κ᾽ Ἀλέξανδρον κτείνῃ ξανθὸς Μενέλαος,
Τρῶας ἔπειθ᾽ Ἑλένην, καὶ κτήματα πάντ᾽ ἀποδοῦναι,
τιμὴν δ᾽ Ἀργείοις ἀποτινέμεν ἥν τιν᾽ ἔοικεν.

id eſt,

*Vt ſi Alexandrum* ( ſeu Paridem ) *occideret flauus Me-*
*nelaus.*
*Troianos poſtea Helenam, & omnes opes reddere* τιμὴν, id eſt,
mulctamq; illam honoris, *Argiuis pendere, quam opor-*
*teret.*

Ariſtoteles, 1. *Rhetor.* inter κόλασιν, & τιμωρίαν hoc diſcriminis cō-
ſtituit, quod ἡ κόλασις ſit ἕνεκα τοῦ πάσχοντος, ἡ τιμωρία autem, τοῦ ποιοῦν-
τος, ἵνα ἀποπληρωθῇ, id eſt, *Colaſis ſeu pœna eius gratia, qui patitur,*
ſcilicet, vt corrigatur: *timoria ſeu mulcta, vel vltio, eius qui facit* (ſci-
licet, qui expetit) *vt impleatur.*

❡ Quamobrem † inde aliam pœnarum rationem conſtitui- 8
mus, pœnam & ad conſeruandam dignitatem, & legum; quę prohi-
bent admiſſa, & eorum qui læduntur, inductam. Non enim licet
impune leges irridere tranſgrediendo. *l. 1. & 2. de legib. in P.* Sic et-
iam prætor titulum præſcripſit de poſtulando, habendæ rationis,
ſuæque dignitatis tuendæ, & decoris gratia. *Vlpia. in l. 1. de poſtul.*
*lib. 3. P. tit. 1.* Debet enim dignitatem ſuam conſeruare magiſtra-
tus illęſam, quantum fieri poteſt, ne illo abutantur ſubditi. *l. obſer-*
*uandum, de offic. præſid. P. l. 1. §. ſi ſeruus heres, de ven. inſp. in P.*

❡ Et † pœna quoq; ad ſolatium eorum, qui crimine læſi ſunt, ſta- 9
tuitur. *l. capitalium, § famoſis, de pœn.* Inductæ etiam ſunt mulctæ
pecuniariæ & honorariæ pœnæ, quas in Gallia nominamus, *Eſ-*
*mandes honoraires*, quaſi honori ſatisfacientes, quæ timoriam ex-
plicant in criminibus, tum priuatis, tum publicis. ❡ Tertia † ratio 10
vindictæ eſt, quam Græci παράδειγμα dicunt, id eſt, exemplum, cū
punitio propter exemplum neceſſaria, vt ceteri a ſimilib. peccatis,
quæ prohiberi publice intereſt, metu cognitæ pœnæ deterrean-
tur. *Aul. Gell. lib. 6. c. 14.* ❡ Idcirco † veteres quoq; noſtri exempla, 11
pro maximis, grauiſſimiſq; pœnis dicebant. Plato *in Gorgia*, ſup-
plicium hoc παράδειγμα dicit ἄλλοις γίνεσθαι, ἵνα ἄλλοι οἱ ὁρῶντες πά-
σχοντα φοβούμενοι βελτίους γίνωνται, id eſt, *exemplum aliis fieri, vt alii vi-*
*dentes patientem,* ſcilicet ſupplicia, *ſibi timentes reddantur meliores.*
Pœna hæc exemplaris maior eſt, non abſolute tamen, ſed ratione
delicti, cui imponitur: vt ratione eius & ſecundum quid maior ſit.
Nec putandum eſt, eam mortem ſemper habere: quamuis & in
ea etiam, & in modo inferēdi ſupplicii ſit paradeigma. Sic Thu-
cydides, *in* 3. κολάσατε δὲ ἀξίως τούτους τε καὶ τοῖς ἄλλοις συμμάχοις, πα-
ράδειγμα σαφὲς καταστήσατε ὡς ἂν ἀφίστηται θανάτῳ ζημιωσόμενον. Plu-
tarch. pro infamare hoc verbo vſus, cum dixit, *lib. de curioſ.* Archi-
lochum obſcœnis verſibus ſeipſum παραδειγματίζειν, id eſt, *infa-*
*mem reddere.* Sic D. Paulus ἀνασταυροῦντας τοῖς ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν Θεοῦ καὶ
παραδειγματίζοντας. Imperator Alexander, *l. monere, 4. ſi ſer. export.*
*ven. lib. 4. C. tit. 55.* execrabile delictum eius, qui dominum ven-
diderit ea lege, vt exportaretur, capitali pœna in exemplum vindi-
cari iubet. Calliſtrat. *l. capitalium, 28. §. famoſos, de pœn. in P.* quoq;
famoſos latrones in his locis, in quibus graſſati ſunt, furca figen-
dos compluribus placuiſſe ſcribit, vt & conſpectu deterreantur a-
lii ab iiſdem facinoribus. Ea ratione Vlpianus reſpondit, *in l. 1. de*
*abige. lib. 47. P. tit. 14.* abigeos duriſſime puniendos, non vbique
tamen, ſed vbi frequentius eſt id genus maleficii: eademque in a-
liis pleriſq; iuris capitulis in pœnis ſtatuendis receptum. *l. 1. ad l.*
*Jul. repe. C. l. aut facta, §. fi. de pœna, l. ſed ſi ego, §. 1. ad Vellei. P. l. quam-*
*uis, de reb. eor. qui ſub tutel. in P. c. clericos, de cohabitat. cleric. & mu-*
*lier. c. Anaſtaſius, 19 diſt.* Tryphonius etiam expreſſe, *l. bona fides,*
*31. depoſ. lib. 16. P. tit. 3. male meritus,* inquit, *publice, vt exemplo cete-*
*ris ad deterrenda maleficia, etiam egeſtate laborare debet.*

❡ Proinde † in deteſtationem criminum, ſæpe in inanimata & 12
bruta animaduerſum legimus, quorum occaſione delicta conti-
gere, vt obſeruatum in brutis, cum quibus nefarie ſe quis coniun-
xerit, *Leuit. 20. Ioſeph. lib. 4 antiq. Iudaic. c. fi.* Docuit & exempla-
rem illam pœnam Plato, 9. *de legib.* Legimus anſeres Romæ o-
lim ob conſeruatum Capitolium, quod clangore canibus dormi-
entibus aduenientē hoſtem prodidiſſent, præmio affectos, & ca-
nes ſuſpenſos, quod non latraſſent, ac ſi illorum factum ad perfi-
diam & proditionem facere videretur. Et poſtea eadem de cauſſa
ſupplicia annua canes pendebant inter ædes Iuuentutis & Sum-
mani, viui in furca ſambucea in arbore fixi, vt narrat Plinius, & a-
lii. *lib. 19 ca. 3. & 4 & lib. 10. c. 22. Liuius, in* 7. Refert Æſchines
contra Cteſiphontem, Athenis lapidem, ligna, ferrum, quod
delapſa hominem occidiſſent, exterminata eſſe, non alia de cauſ-
ſa, quam vt homines exemplo diſcerent, quale ſupplicium para-
retur illis, ſi ſimile admitterent, cum vſu rationis donati eſſent.

Iubent leges ſæpe domos etiam, in quibus crimina admiſſa ſunt,
dirui, in exemplarem & grauiorem pœnam, & deteſtationem de-
licti. *vt in l.1.C.de fal.mone.*

## De diuiſione pœnarum, & de Mulcta.

### Cap. 3.

1 *Pœna ciuilis, alia criminalis, & quid vtraq;.*
*Ciuilis rurſum triplex, conuentionalis, legalis, iudicialis: & quid qualibet. eod.*
2 *Pœna conuentionalis, quando vſurarum loco eſt.*
*Non poteſt applicari fiſco. eod.*
3 *Pœna conuentionalis, & vſurarum differentia.*
4 *Pœna legalis ciuilis quæ, & ſpecies.*
5 *Pœna iudicialis quæ.*
6 *Mulctæ condemnatio in fiſcum quando infamiam irroget.*
*Pœnam pecuniariam cui iudici liceat conuertere in corporalem, & contra. eod.*
*Pœna diuiſa in pœnam, & mulctam. eod.*
*Mulctæ & pœnæ differentia. eod.*
7 *Num mulctam omnes iudices infligere poſſint. & 9.*
8 *Mulctæ cui loco adiudicarentur.*
*Modus, & quantitas. eod.*
9 *Aterina lex de mulcta.*
10 *Mulcta fiebat olim in pecore antiquitus.*
*Et in ære poſtea. & num. 13.*
11 *Mulcta vnde dicta.*
12 *Pœna criminalis in corporalem, & pecuniariam diuiditur.*
13 *Pœnarum criminalium aliæ capitales, aliæ non capitales: & capitalium aliæ maiores, aliæ minores.*
14 *Pœna capitalis vix primis temporibus rerumpubl. fuit in vſu. & num. ſeq.*
15 *Sylla morte primus Romæ mulctauit.*
16 *Anglorum pœnæ capitales vix mortem habent.*
17 *Draconis leges quare crudeles.*
*De morte homini inferenda nulla ſatis longa cunctatio. eod.*
18 *Exſilium antiquis pœna grauiſſima.*
*Aquæ & ignis interdictio olim grauiſſima pœna. eod.*
19 *Pœnæ ſeueriores eſſe debent creſcente audacia.*

1 PRima † diuiſio ſeu diſtinctio pœnę, vt alia ſit ciuilis, alia crimi-
nalis. Ciuilis eſt, quæ aliunde pendet, quam ex cauſſa crimi-
nis. Ciuilis triplex, conuentionalis, & legalis, & iudicialis. Pœna
conuentionalis vna, quæ damni emergentis, vel lucri ceſſantis æ-
ſtimationē præſtat certam ex cōuentione: vt ſi intra certum tem-
pus quid datum, factumve non ſit, in pœnam aliquid pendatur,
*Paul. l. in illa ſtipulatione, 8. & Papin. in l. ſi ita ſtipulatus, 115. de ver-
bor. oblig.* certa ſemper inter contrahentes, *l. fin. de prætor. ſtipulat.
in P. l. ſtipulatio iſta, §. alteri, de verb. oblig.* Et vſura quæ non præ-
ſens eſt, ſed ſub non ſoluendi conditione, quam quis ſtipulatur,
pœna eſt, *ſecundum Hotoma. in l. lecta, ſi cer. pet. & in l. 1. de vſur.*

2 ❡ Sicuti † & pœna, quæ inſerta eſt contractui mutui, loco v-
ſurarum eſt: veluti ſi intra certum tempus mutuum non eſſet red-
ditum. Quare & ad debitum modum, vſurarum pœna reducitur,
*Gord. Cæſar, l. cum allegas, 15. & l. cum non frumentum, 16. de vſur.
lib. 4. C. tit. 32.* quamuis alias ſæpe lex iubeat & vſuras, & pœnam
exſolui. *l. 2. de eo, quod cert. loc. in P. l. Lucius de acti. P. l. traiectitiæ,
eod.* Nam cum adiicitur pœna excedens quantitatem contractus,
præſumitur in fraudem vſurarum extorta, *d. l. cum allegas, notat. in
l. ad noſtram, de emtio. l. vnic. de ſenten. quæ pro eo quod inte. profer. C.*
non autem ſi facto ſeu faciendo inſeratur. Et hæc pœna vſq; adeo
ciuilis eſt, vt non poſſit ex conuentione applicari fiſco. *l. arbiter
intra certum, de arbit. in P.* Huc itaque pertinent pœnæ debitæ ob
non impletos ex lege contractus. Item quæ compromiſſis acce-
3 dunt. *l. dilecti, de arbit.* ❡ Pœnæ † iſtæ in conuentione appoſitæ
& petitæ, ratione fidei non ſeruatæ præſtantur: vſura autem ratio-
ne moræ. *l. qui ſine, de neg. geſt. in P. l. cum quidam, §. ſed pupillo, de v-
4 ſur. in P.* ❡ Legalis † pœna ciuilis eſt, quando lege pœna imponi-
tur pecuniaria, pro reparatione damni: cuiuſmodi ſunt illæ, quas
per actiones pœnales conſequimur ciuiliter, etiamſi ex crimine
deſcendant, vt dupli, tripli, quadrupli. *§. quadrupli, de actio. §. o-
mnes autem, eod.* In factum, de effuſis, deiectis, ſuſpenſis, *l. ſi vero, §.
prætor, de his qui deiecer. P.* ſerui corrupti, & ſimiles. *§. pœnalis, de
actio.* Eſt etiam hæc prę̨ſtanda, vel ratione fidei non præſtitæ, ſi lex
imponat pœnam non implenti: veluti pro ceſſatione, & moroſa
dilatione, *l. mora, 32. & l. cum quidam, 17. §. ſi pupillo, de vſur. in
P. l. lecta, ſi cert. petat.* vel ob contumaciam, contemtumve, *l. vni.
ſi quis ius dic. non obtemper.* quam proprie & pœnam dici autu-
mat Alciatus, *lib. 1. Parad. c. 11.*

❡ Pœna † iudicialis etiam legalis eſſe poteſt, pecuniaria, a iure 5
ſtatuta, a iudice prolata: interdum a iudice decreta, *l. 1. ſi quis ius
dic. non obtem. lib. 2. P. titu. 2.* quæ dicetur mulcta pecuniaria. ❡ Vi-
delicet, † vt ſemel moneam, pœna adiudicata parti pro damno, 6
non autem ea, quæ pro reparatione & vltione criminis publica,
fiſco adiudicari ſolet, quæ ciuilis non dicitur, vtpote aliquomo-
do irrogans infamiam, *l. 3. & ibi glo. de ſepul. viol. in P. Bart. in l. li-
cita, §. quod illicita, num. 1. de pub. & vect.* Cum tamen ſimplex pe-
cuniaria damnatio per ſe non infamet, *l. 2. ex quib. cau. infa. irrog.
lib. 2. C. titu. 12. l. 1. de mod. mulcta. lib. 1. C. titu. 53.* etſi alia ratione,
quam criminis, ærario applicetur. *vt in l. mulctarum, eod.* Sic Vl-
pianus dixit agere poſſe aliquem pro crimine pecuniariter, iure
ordinario, *l. fin. de priua. deli. lib. 47. P. titu. 1.* quod & in eadem
hypotheſi dixit agere ciuiliter. *l. fin. de iniur. eod. lib. titu. 2.* Inter-
dum ex legibus publicorum iudiciorum, & priuatorum crimi-
num, qui extra ordinem cognoſcunt, præfecti vel præſides, in
eos, qui pœnam pecuniariam egentes eludunt, coerctionem ex-
traordinariam indicunt. *l. 1. §. fin. de pœn. in P. l. quicunque, §. quod
ſi, de ſer. fugit. C. l. fin. C. de ſepul. viol.* Verum non ab omnibus iu-
dicibus ita pecuniaria pœna in corporalem conuerti poteſt, ſed
tantum a Senatuſc. cui & corporalem in pecuniariam transferre
tantum licet, vt ait Guido Pap. *deciſ. 576. Vlpian. l. aliud eſt fraus,
121. de verbor. ſigni. P.* pœnam, in pœnam & mulctam diuidere vi-
detur. *Pœna*, inquit, *generale nomen eſt, & omnium delictorum co-
erctio. mulcta, ſpecialis peccati, cuius animaduerſio hodie pecuniaria
eſt. Pœna autem non tantum pecuniaria, verum & capitis, & exiſti-
mationis irrogari ſolet.* Alia differentia, mulcta ex arbitrio eius
venit, qui mulctam dicit, & vbi pœna delicto lege certa non im-
ponitur: pœna autem non irrogatur, niſi ex lege decreta. Proin-
de a pœnæ determinatæ irrogatione non appellatur: a mulcta au-
tem contra. Nam illa certa conuicto, hæc arbitraria. *Labeo in l.
ſi qua pœna, 244. de verbor. ſigni. P. l. in mulctis, & l. certa ratione,
quand. pronoc. non eſt nece.* Obſeruandum tamen interdum mul-
ctæ nomen generalius vſurpari, pro pœna certa, ſiue criminali, ſi-
ue ciuili. *l. præuaricationis, de præuaric. in P. l. 2. de epiſcop. aud. C. l.
abſtinendum, C. quor. appellat. non recip. cum ſimilib.* Quo caſu hæc
ita ad amuſſim non reguntur. Vnde nec valde laborandum cen-
ſeo tyroni iuris in diſtinguendis his, quæ confunduntur, potiſſi-
mum in Gallia, vbi pœnæ fere omnes ſunt arbitrariæ: tamen o-
portuit me illas differentias monere, quæ iura aliquando conſti-
tuunt inter pœnam, & mulctam.

❡ Secundum † quæ adhuc alia erat, vt non ab omnibus magi- 7
ſtratibus concederetur mulctandi facultas: ſed iis tantum, quibus
adiudicatio data eſſet, vt præſidibus prouinciarum: cum, tamen
omnes iudices, quibus criminis exſecutio competebat, poſſent
pœnam eius criminis infligere. *l. aliud eſt, §. fin. de verbo. ſign. l. 1. §.
fin. de iudic. in P. lib. 5. tit. 1. l. fin. de mod. mulct. C.* Quæ etiam hodie
diſtinctio confuſa, nam & mulctare hodie delegatus poteſt, *ca. de
cauſſis, in fine, de offic. deleg. l. 2. C. de ſportul. vide plura de magiſtrati-
bus, qui poſſint mulctare apud Bart. in l. 1. ſi quis ius dicen. non obtem-
pera. & interp. titul. de mod. mulcta.* non tamen procuratores prin-
cipis, vel rationales, *l. 2. C. de mod. mulcta.* neque legiſtæ ſeu cura-
tores reipublic. *l. 3. C. eod.* iure Codicis. ❡ Quo † etiam alia erat 8
differentia, vt non niſi ærario, vel operibus publicis, *l. mulctarum,
5. eod.* mulctæ adiudicarentur, paucis exceptis, *l. diuus, 2. §. fin. de
iur. patro. l. 2. de epiſ. aud. C.* & ne extra modum & quantitatem de-
terminatā a principe liceret mulctare, videlicet ne illuſtres mul-
ctarent vltra quinquaginta libras auri, *l. illuſtres, 4. de mod. mulcta.*
moderatores prouinciarum, vltra ſummā duarum vnciarum au-
ri: proconſulares, comitesq; Orientis, & præfectus Auguſtalis vl-
tra ſummam ſenarum vnciarum auri, ſpectabiles, vltra tres vncias
auri. Nec liceret mulctam eam in vna perſona pro eodem deli-
cto, niſi ter repetere vno anno. *l. fin. eod.*

❡ Vocabant † ad populum ædiles curules, & plebeii quidam, 9
& mulctam dicebant, de qua & certabatur coram tribuno plebis.
*paſſim apud Liuium.* Et anno vrbis 300. Spur. Tarpeius, A. Ate-
rinus CC. legem centuriatam tulerunt, qua omnibus magiſtrati-
bus mulctæ dicendæ poteſtas facta eſt. *Dionyſ. Halicar. lib. 10.*

❡ Atque † ea lex Aterina, cuius meminit Gellius, *lib. 11. cap. 1.* 10
❡ Mulcta † antiquarum legum conſuetudine priore conſtabat 11
etiam Romæ, quo tempore adhuc aurum ſignatum non erat, vt
ait Plinius, *lib. 33. cap. 1.* Et alibi poſtea etiam obſeruatum tradit,
inuenta pecunia: *Mulctatio quoque*, inquit, *Idem lib. 18. cap. 3.*
nonniſi

*nonniſi ouium boumque impendio dicebatur: non omittenda priſcarum legum beneuolentia.* Secuta eſt alia dehinc conſuetudo mulctandi, qua pro grauioribus criminibus ſummæ æris ingentes irrogabantur in pœnam a tribunis pleb. & aliis magiſtratibus: de qua poſtea citabatur coram populo, an iuſte vel iniuſte inflicta eſſet vel dicta, vt explicat ex Liuio, & aliis Budæus, *in annota prior. ad P. in l. 2. in fine de iudic.* apud quem videto, & apud Grucchium, *lib. 2. de comit. Roman. cap. 3.* Mutationem priſcæ mulctæ in æratam annotat Gellius, *libr. 11. cap. 1* *Cum eiuſmodi*, inquit, *mulcta pecoris armentique a magiſtratibus dicta erat, adigebant oues boueſque, alias pretii parui, alias minoris: eaque res faciebat mulctæ punitionem. Idcirco poſtea lege Aterina conſtituti ſunt in oues ſingulas æris deni, in boues æris centeni. Minima autem mulcta eſt ouis vnius, ſuprema in ſingulos dies duarum ouium, triginta boum, pro copia ſcilicet boum, & penuria ouium.* Plutarchus *in Valer. Publ.* autem mulctam fuiſſe quinque boum, & duarum pecudum: pretiumque pecudis obolos decem, bouis autem centum. Crinitus vigintiquinque aſſium aliquando fuiſſe mulctam dicit, *lib. 25. de honeſta diſcip. c.* 8. maximam Pompeius trium millium & viginti aſſium: pro ratione ouium duarum, & triginta boum.

11 ¶ Mulcta † autem vnde dicta ſit, tradit perſpicue Varro, 4. *de ling. Latin. Citat & hunc Sextus Pompeius Feſtus, libr. de verbor. ſignif. in verb. mulctam*, his verbis in emendatis exemplaribus. *Mulcta a pecunia, quæ a magiſtratu dicta, vt exigi poſſit ob peccatum; quod ſingulæ dicuntur appellatæ eſſe mulctæ, quod olim vnum dicebant mulcta.* Qui locus varie & legitur & explicatur. Mihi autem, ſi coniecturis locus intercipiatur, videtur dicendam mulctam, hoc nomine plura ſignificante, pœnam hanc pecuniariam appellatam: quia non pro crimine primo, ſed proter repetito imponi ſolum poſſet. Neceſſarium quippe erat, vt magiſtratus ter reum ante accuſaret, quam mulctam irrogaret: hac vero irrogata, trinundino prodēda erat dies, qua ad populum mulcta certanda eſſet, vt ſcribit Cicero, *pro domo ſua.* A. Gellius, *lib. 11. cap. 1.* duas alias adfert nominis ſignificationes, vnam ex Varrone libro vndecimo rerum humanarum, non Latinum, ſed Samnitum eſſe nomen: alteram Grammaticorum, vt mulcta per ἀντίφρασιν dicatur, id eſt, per contrariam dictionem, quaſi non mulcta. Sed hæc omnia latius perſequi, vt dixi, parum ad iuuanda ſtudia diſcentiū iura conducere opinor: cum & videam paſſim apud Ciceronem, & mulctam, & mulctandi nomen, pro punitione qualibet vſurpari. Sicut & apud alios auctores, & Iuriſconſultos. Quare & hic eius tractationis metam conſtituo.

12 ¶ Criminalis † pœna, quæ pro criminibus imponitur, varia eſt, & de ea eſt præſens tractatio, quæ diuiſione ſcinditur in pecuniariam, & corporalem, quæ corpore exſoluitur. Et interdum illa pecuniaria in corporalem extraordinariam commutatur. *l. 1. de pœn. in P. vide l. fin. de in ius vocat. l. quicunque, § quod ſi, de ſeru. fugi. l. fin. de ſep. vio. C.*

13 ¶ Paulus † Iuriſconſult. pœnas & crimina diuidit pari modo. *l. 2. de pub. iud. § publicorum. eod. tit. apud Iuſtin.* Et vt crimina alia dicit capitalia, alia non capitalia: pœnas etiam capitales dicit, in quibus mors aut exſilium eſt, id eſt, aquæ, & ignis interdictio. Quia per has pœnas eximitur caput a ciuitate. Non capitales pœnas tradit eſſe pecuniarias, aut in corpus aliquam coercitionem. Innocentius & Felinus, *in c. qualiter, in 2. §. 1. num. 25.* ſecundum leges ſeptem genera pœnarum ponunt, tria capitalium, videlicet, mortis, quæ multipliciter infligitur, *l. aut damnum. §. vita, & l. capitalium, de pœn. P.* metalli, *l. quidam, de pœn P. l. aut damnum, §. inter eos, & § eſt pœna, eod.* deportationis, *d. l. quidam*, quatuor autem non capitalium, relegationem, *l. relegatorum, de inter. P. l. 2. de pub. iud. P.* infamiam, *d. l. aut damnum*, amiſſionem dignitatis, *l. moris, de pœn.* verborum admonitionem. *l. ſi quis forte §. fin. & l. ſeq. de pœn. P.* Quæ pœnæ, & in iure Pontificio variantur, & pro morte aliæ ſubrogantur. Sunt autem rurſus capitales pœnæ maiores & minores, vt annotat Accurſius, in §. eſt & inter, ad verb. capitis pœnam, de publ. iud. Nam crimina cum diſparem habeant cauſſam, vt docuimus, non eadem pœna punienda ſunt, nec leuiora delicta extremis ſuppliciis plectenda, *Cic. apud Dion. Caſſ lib. 44. hiſtor.* vel caſtiganda: ſed reſpiciendum iudici, ne quid durius aut mitius agatur. *l. reſpiciendum, de pœn.* Sic apud Germanos antiquos diſtinctio pœnarum erat ex delicto, ex arboribus proditores & transfugas ſuſpendentes, ignauos & imbelles cœno ac palude iniecta, ſuper crate mergebant. Et leuioribus delictis pro modo pœnarum, equorum pecorumque numero conuicti mulctabantur, pars ipſius mulctæ regi vel ciuitati, pars ipſi qui vindicatur, vel propinquis eius exſoluebatur, teſte Cornelio Tacito, *lib. de morib. Germano.*

14 ¶ Communis † omnium fere gentium ab initio rerum publicarum conſenſus, capitales & corporales pœnas vix & raro recipiebat, quantumuis graue ſcelus, vt homicidium commiſſum eſſet: ſed pecuniarias pœnas imponebant, vt liquet ex legibus Salicis, Allemanicis, Saxonicis, Anglicis, Thuringorum, Burgundiorum, Francorum, Ripuariæ, Boioariorum, VVeſtphalorum, VVerinorum, Frigionum.

15 ¶ Langobardorū, † Theutonum. Meminit Appianus Ale. *lib. 1. de bellis ciuilib.* crudelem Syllam primum inuentum eſſe, qui morte mulctaret. Romæ videlicet.

16 ¶ De † Anglis Polydorus Virgilius *lib. 26. hiſtor. Anglic.* ſcribit, apud illos nec ob crimen maieſtatis affici morte ſacris initiatos, quos dicimus, clericos. Imo nec eos, qui legere norunt pro crimine primo, veluti illis affines: ſed inuri tantum literas illis criminum commiſſorum indices, nempe homicidis, in palma ſub pollice literam M. quæ Anglice *murdre*, id eſt, homicidium ſignificat: pro furto litera T. id eſt, *thefht*, hoc eſt, furem ſignificans. Idque ex ſanctione Henrici II. Anglorum regis. Quæ tamen lex in deſuetudinem abiit.

17 ¶ Crudeliſſima † viſa lex Draconis, qua ἅπασι τοῖς ἁμαρτάνουσι μία ζημία θάνατος, *Omnium flagitiorum vna pœna mors.* quam temperauit humanitate & æquitate Solon. *Plutarch. in Solon.* Nulla enim ſatis magna cunctatio videtur vel deliberatio, vbi de vita homini tollenda agitur. Et ideo tot tantaſque ſolemnitates præcedere debere prudentiſſime ſtatutum eſſe iuribus, Deo fauente, docebimus. Innuit & his verbis Iuuen. *Satyr. 6.*

*Pone crucem ſeruo, meruit quo crimine ſeruus*
*Supplicium? quis teſtis adeſt? quis detulit? audi,*
*Nulla vnquam de morte hominis cunctatio longa eſt.*

Vnde eccleſia eam nunquam infligit. *ca. clericis, & ca. ſententiam ſanguinis, ne cleric. vel monach. ſecul. negot. ſe immiſc. ca. in Archiepiſcopatu, de raptor.* Quamuis enim quis morte dignus ſit, aut videatur ob immanitatem patrati ſceleris: tamen ſemper eccleſia ſperat de emendatione & pœnitentia reorum delinquentium, neque ſtatim curiæ ſeculari etiam depoſitos ſupplicio afficiendos tradit. *ca. at ſi clerici, & ca. cum non ab homine, de iud. apud Gregor.* Et quando incorrigibiles & noxios omnino gregi, & ceteris hominibus videt, dum eos laicis puniendos remittit, adhuc etiam pro illis intercedit, ne morte afficiantur. *c. nouimus, de verb. ſigni.* Omnes enim morimur, & delabimur in terram, quæ non reuertitur: nec vult Deus perire animam, ſed retractat, cogitans ne penitus pereat, qui abiectus eſt: vt in hanc ſententiam, pro vita conſeruanda Abſaloni qui fratricidium commiſerat, dicitur regi Dauidi. *lib. 2. Reg. c. 14.*

18 ¶ Grauiſſimæ † antiquitus pœnæ, exſilium, & aquæ & ignis interdictio, quibus homines etſi improbiſſimi, tantum a ſocietate ciuili pellebantur. Et quamdiu minores pœnæ humanam cohibebant audaciam, non opus fuit maiore, ſine qua homines arcere a malis poterant, vt ait Diodorus apud Thucididem, *in 3.* Et Cicero *pro domo ſua ad Pontif.* tradit, priſcos Romanos quos rerum capitalium damnaſſent, tecti tantummodo, aquæ & ignis interdictione damnare ſolitos fuiſſe. Et Lactantius, *lib. 1. diuina. inſtitut.* interdictio earum rerum vſu, quibus vita conſtat hominum, perinde habitum, ac ſi eſſet, qui eam ſententiam exceperat, morte mulctatus. Adhuc enim, inquit, videbatur nefas quamuis malos homines, ſupplicio capitis afficere. Vetuit Deus Cainum, quamuis fratricidam, occidi, *Geneſ. 4.* Et Lamechi homicidæ ſanguinem fundi, *Geneſ. 7.* Erant & condemnationes pecuniariæ graues veteribus, ob magnam ipſorum paupertatem. Et proinde pro delictis grauibus erant & tales impoſitæ. *§. pœna autem iniuriarum, de iniur. apud Iuſtin. Quod & latius explicat Theoph. in ſuis Inſtitut. iur. ciui §. pœna, eod. tit. lib 4. tit. 4.*

19 ¶ Sed † vt monui, hæc tum demum obtinebant, quando homines leuioribus pœnis caſtigari poterāt, cum probitas leges reuerebatur: verum vbi creuit improbitas & contumelia, tunc opus fuit ſaltem pœnarum grauitate & mortis metu deterreri ſceleſtos, *l. 1. de abige. lib. 47. P. tit. 14. cum ſimilib. a gl. ibi not. in ver. id genus.* gladiuſque datus magiſtratibus ad vindictam malefactorum, *ad Roman. cap. 13. l. Imperium, de iuriſdict. omnium iudic.* idque propter rationes, quas ſupra commemorauimus, quibus intereſſe reipubl. delicta puniri docuimus. Sic Deus in pacto renouato Noacho poſt diluuium, cum pronos ad malum

& ſanguinem fundendum vidiſſet homines, & ad delinquendum faciles, cœpit ſeuerius leges ponere, dixitq;, *Qui effuderit ſanguinem humanum, fundetur ſanguis illius, Geneſ. c. 9* Et rurſum in lege Moſaica, *Exod. 19. 21. Leuit. 20 Numer. 35. Deuter. 22.* mortis pœnam ſæpe delictis ſtatuit. Et in Euangelica, *Matth. c. 16* πάντες γὰρ οἱ λαμβάνοντες μάχαιραν ἐν μαχαίρᾳ ἀπολοῦνται. *Omnes qui gladium acceperint, gladio exterminabuntur.* Ceterum diuerſæ leges diuinæ ab humanis: & rurſum diuerſæ inter ſe diuinæ. Diuerſæ quoque, & variæ humanæ.

## De pœnis Diuinis in genere.

### Cap. 4.

1 *Pœnarum in genere criminalium, diuinarum & humanarum diuiſio.*
2 *Pœna humana quæ, & quomodo dicantur.*
3 *Pœna diuina temporalis & perpetua.*
*Temporales in hoc & alio ſeculo, & quæ eius generis.*
4 *Pœna quare interdum tranſit in ſucceſſores & poſteros.*
*Filii quando afficiantur pœnis pro parentibus. eod.*

1 SEd † vt criminalium pœnarum gradus, & varias paucis complectamur differentias: earum, de quibus iam meminimus, & de quibus dicturi ſumus, pœnas diuidemus, in diuinas & humanas. Rurſum diuinas in eas, quas in hoc ſeculo Deus infligit, & eas quas in alio, temporales vel perpetuas. Humanas rurſum, in eas quæ fori ſunt eccleſiaſtici, & quæ ſecularis. Quæ omnes ſunt vel ſpirituales, vel corporales, vel mixtæ. Et rurſum corporales, vel capitales, ſeu ad vitæ naturalis vel ciuilis priuationem pertinentes: vel non capitales, ad exiſtimationem & famam pertinentes, vel ad membrorum aliquorum abſciſſionem. Quas omnes
2 ſuis gradibus & exemplis illuſtrare expedit. ¶ Humanæ † ſunt ab hominibus impoſitæ, vel per homines repoſcuntur: vt & ratione exſecutionis pœnarum a Deo indictarum, pœnæ humanæ & temporales dici poſſint, inſtitutione & conſtitutione diuinæ: nō tamen omnes diuinæ, humanæ ea ratione dicentur. Sunt enim quædam, quæ ſalubri tantum admonitione ſunt corripienda ab hominibus, non autem corporalibus flagellis animaduertenda, quorū vindicta diuino examini tātum eſt reſeruanda. Quando videlicet, in delinquentes diſciplinā exercere nō poſſumus, vel quia non ſunt noſtri iuris, vel quia illorum crimina, & ſi nobis nota ſunt, tamen manifeſtis indiciis probari non poſſunt. *c. cum in lege, §. his itaque, 23. quæſt. 4. ca. eorum, 11. quæſt. 3. ca. nullum, 30. q. 5.* Benignitas etiam Dei pœnas differt, & maleficiis aliquando infert ſeras, nunquam tamen irritas, vt ait Plinius *lib. 2. c. 7.* & Iuuenal. *ſatyr. 13.*

*Vt ſit magna tamen certe lenta ira Deorum eſt.*

3 ¶ Diuinarum † pœnarum aliæ temporales, aliæ perpetuæ. Temporales pœnæ a Deo imponuntur in hoc, & alio ſeculo, *ca. ſunt plures, de pœnit. diſt. 3. can. qui in aliud. 25. diſtinct.* In hoc ſeculo, ægritudo, paupertas, mors, & ſimiles anguſtiæ, ſeu exercitia bonorum, quibus caſtigantur delinquentes & corriguntur, ne in æternum pereant, *dict. cap. ſunt plures § auctoritas, & can. quid ergo, 23. quæſt. 5.* quare nec mala dicuntur, cum bonos reddant malos, vel bonos meliores. *cano. illa, cano. nec is qui, 15. quæſtion. 1.* Qui ſi obdurauerint, & illis flagellis non caſtigentur, certe temporales pœnæ æternarum initium ſunt. ¶ Ideo † non eſt miran-
4 dum, ſi aliquando malorum pœnas luant temporales ſucceſſores, qui non offenderunt: nam ſine culpa quidem ſunt, verum ſine cauſſa non affliguntur. Et ita pœna iuſta, *can. qui in aliquo, 51. diſt.* Plutarchus, *lib. de ſera numi. vindict.* hoc ad exemplares pœnas pertinere ratus eſt. *Vindictam vero,* inquit, *quæ ob maiorum facinora in filios ac vniuerſum debacchatur genus, manifeſte aliquando cernimus: quandoquidem multos a ſceleribus auertit, ac ne ſimilia audeant, deterret ac admonet.* Variis ærumnis & pœnis temporalibus conſeruantur iuſti, ne cadant: qui iam ceciderunt, releuantur. Sunt pharmaca, quæ præueniunt morbum, & anteuertunt, alia quæ curant. Et præſtantior mihi & magis amicus videtur cenſendus medicus & medicina, quibus auertuntur & præcauentur morbi, illis quibus ſanantur. In vtriſque bonum nihilominus: ſed non eſſe ægrotum, quam curari, melius. Sodomitarum, *Geneſ. 9.* pueri temporali ſupplicio ignis & ſulphuris extriti ex hoc ſeculo ſunt: attamen maximum beneficium illis diuina hæc pœna temporalis, qua eos Deus præcociter deleuit, ne in æternum, ſi actu deliquiſſent, punirentur. Sic & iuſtus cum iniuſtorum pœnis plerumq; inuoluitur, & vtriq; plectuntur: ſed rapitur iuſtus, ne ſi viuat, malitia mutet eius intellectum, *Sapien. 4.* Sic Deus dicitur Zelotes, viſitans peccata parentum in tertiam & quartam generationem, *Exod. c. 20.* Sicuti peccati Dauidis pœna temporalis tranſlata in poſteros, quando prædictum illi, ab eius domo nō abiturum gladium, *2. Reg. c. 12.* Dictum & ad Heli per Prophetā, ob peccatū eius, quod non corrigeret filios, *1. Reg. c. 2. Ecce dies veniunt,* ait Dominus, *& præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non ſit ſenex in domo tua omnibus diebus.* Et Achabo conuerſo ad pœnitentiam, pœna eius peccati tranſlata in poſteros, *4. Reg. 21. can. illud, §. fi. & can. Achab. & can. talis, de pœnit. diſt. 3.* Vt & in iure ciuili aliquando, & gentium ob crimina quædam atrocia extenditur pœna in proximos, & filios, vt in crimine maieſtatis, *l. quiſquis, ad l. Iul. maieſt. C. & in crimine illo nos plura coniecimus in hanc rem.* & hæreſeos, *can. quæro ego, §. verum, & § ſeq. 6. q. 1. cum ſimilib.* in quibus metuitur, ne filii imitentur parētum ſcelera, & ideo illis occaſio ſubducitur. Proinde, dum quis videt flagellari in hac vita homines a Deo, nō ſtatim arguere debet, ideo illos improbos: nec contra, dum videt impios omni humanā felicitate cumulari, & proſpere viuere, non ideo illos probos & Deo gratos opinari. Nam quos amat Deus, caſtigat, vt præmiis æternis reſeruet: quos autem contemnit, permittit bona in hac vita recipere, vt æterna ſupplicia conſequantur, *can. ſi quando, de pœniten. diſt. 3.* Quod ex diuitis, & Lazari parabola colligere licet in ſacro Euangelio. At non ita in pœnis, quæ in vltionem peccatorum & delictorum feruntur, ſiue illæ temporales, ſiue æternæ ſint, ſtatuendum. Nam hæ perſonales ſunt, nec perſonas egrediuntur, *l. quia tale, ſol. matr.* vt alius pro alio puniatur, *l. crimen paternum, & l. ſi pœna, P. l. ſancimus, C. eo. rubr. ne fil. pro patre, &c.* ſed anima quæ peccauerit, ipſa morietur, nec filius portabit iniquitatem patris, *Ezech. c. 18. can. ſi habes, & c. 1. 24. q. 3.* Et vnuſquiſque pro peccato ſuo morietur. *Deut. 24. 2. Paral. 25. 4. Reg. 14.*

## De duabus primis pœnis homini, & mulieri impoſitis.

### Cap. 5.

1 *Mors pœna peccati.*
2 *Pariendi dolores mulieribus in pœnam dati.*
*Vxor quare marito ſubdita. eod.*
3 *Parere durum mulieribus.*

POenæ † temporales diuinæ, de quibus ſacra Biblia meminerunt, ſunt plures: verum quaſdam tantum indicabimus, eaſq; quoque ab hominibus vſurpatas, vel exemplo, vel præcepto per earum expoſitionem, ne cogamur eadem ſæpius ſub diuerſis recantare locis. Prior impoſita pœna homini mors temporalis, huius vitæ ſolutio animæ & corporis, ob primum peccatum Adami & Euæ, *Geneſ. 2. & 3. ad Roman. 5. can. cum ergo, §. 1. 24. q. 3.* Et cum hac labores, ſolicitudines omnes, morbi aduenerunt. Siquidem omnia fere negotia labore neceſſario ſubimus, vt habeamus alimenta, quibus decedentem per ſingula momenta vitam corporis reficiamus. Morbi autem ſunt monitores mortis, veluti particulares corporis lites, quæ vniuerſam ſyſtaſim & naturæ tēperamentum paulatim rodunt & debilitant. Ex terra facti ſumus, & in terram ob peccatum reuertimur. *Eccleſ. c. 3. & 17. Geneſ. 3. cap. in Eccleſiaſtico, 13. q. 2. Omnes morimur, & delabimur in terram, veluti aquæ, quæ non reuertuntur. 2. Reg. c. 14.* Poetice egregie tamen Heſiodus depingit vitæ prioris hominis felicitatē, & ex peccato mulieris ex malo ſuccedentem infelicitatem. *1. Ergon.*

Πρὶν μὲν γὰρ, inquit, ζώεσκον ἐπὶ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων
Νόσφιν ἄτερ τε κακῶν, καὶ ἄτερ χαλεποῖο πόνοιο,
Νούσων τ' ἀργαλέων, αἵ τ' ἄνδρασι γῆρας ἔδωκαν.
Αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι.
Ἀλλὰ γυνὴ χείρεσσι πίθου μέγα πῶμ' ἀφελοῦσα
Ἐσκέδασ', ἀνθρώποισι δ' ἐμήσατο κήδεα λυγρά. &c. quæ ſeq.

id eſt.

*Prius namq; viuebant familiæ hominum*
*Omnino abſq; malis, & ſine difficili labore,*
*Morbisq; moleſtis, qui hominibus ſenectam adferunt,*
*Mox enim in afflictione mortales conſeneſcunt.*
*Sed mulier inanibus vaſis magnum operculum dimouens.*
*Diſperſit, hominibus autem machinata eſt curas graues.*

¶ Secunda † diuina pœna mulieribus impoſita, dolor eſt in pariendo, & alia ſeruitus maritalis. *Gen. 3.* Duæ pœnæ certe grauiſſimę per eam quæ in pariendo, voluptas in decipiendo viro præcedēs vindicatur: in ea quod viro ſubdita ſit, punitur temeritas, q abuſa fuerit viro, cui data erat in auxiliū, & facta antea adiutoriū illi ſimile. *Gen. 2. c. cum ſocietas, 27 q 2. c. lex diuina, 33 q. 2. c. debitū, de biga.* 2

Merito

Merito & facta non amplius equalis auctoritatis, ſed ſubdita viro.
*d.c.3.Geneſ.c.fœmina, 30.q.5.can.eſt ordo, & c.ſeq. 33.q.5.c.mani-
feſtum, can.cum caput, eod.ad Roman.7.* De hac poteſtate nos tra-
ctamus, in perſonarum liberarum poteſtate. Atq; pœnam parere,
eſſe & gemitum mulieribus acerbum, conſtat ex præcepto Dei.
3 *d.c.3.Geneſ.c.ſi mulier, 5.diſt.c.ſi ſerpens, de pœn.diſt.1.* ¶ Et Eſaias.†
*c.26. Sicut mulier, quæ concepit, dum appropinquauerit ad partum,
dolens clamat in doloribus ſuis, ſic facti ſumus.* Et mulier cũ parit, tri-
ſtitiam habet. *D.Joan.Euang.c.16.* Ante partum onerosa, in par-
tu dolens, poſt partum laborioſa. *c.ex literis, de conuerſ.coniugato.*
Et commode plerunque ſacra pagina vtitur ſimilitudine doloris
parturientium, cum ſummos exprimere vult labores: veluti, ibi,
*dolores vt parturientium. Pſal.47.* Et, *doluerunt quaſi parturientes.
Eccleſ.48.& Eſaia, c.15. Hierem.c.6.& c.22.* Fœminæ vita animali-
bus in pœnam data cenietur a Platone, teſte Alcinoo, *de doctrin.
Plat.c.15.Matri,* inquit D.Ambroſius, *ſuper Lucam.cap.11.debes
pudoris iniuriam, virginitatis diſpendium, partus pericula, vteri
longa diſcrimina.* Iuſtinianus, *in l.aſſiduis, 12.§ quis enim illarum,
qui potior.in pignor.hab.lib.8.C.titu.18.* mulierum eſſe miſeren-
dum circa dotium hypothecas arbitratur, propter obſequia, quæ
maritis præſtant, propter partus periculum, & ipſam liberorum
procreationem.

## De Pœna exſilii. Cap. 6.

1 *Exſilium pœna primi hominis.*
*Vita hominis peregrinatio a patria, eod.*
2 *Peregrini voluntarii, & diſtinctio eorum a ciuibus.*
*Prætor peregrinus eod.*
3 *Peregrinationis in voluntariam, & inuoluntariam diuiſio. Et voluntariam qui, & quare ſubierint.eod.*
4 *Peregrinatio religioſa cur inſtituta.*
5 *Peregrini religionis cauſſa in tutela ſum.Ponti.& fori eccleſiaſtici, & in tutela Imperatoris.*
6 *Oſtraciſmus genus peregrinationis quid.*
*Hermodorus auctor Romanis habendarum legum a Græcis, eodem. Chriſtiani exſilio omnes affecti, ſub Nicephoro Imperatore. eod.*
7 *Deportatio quid.*
8 *Exſilii nomen quid contineat. Triplex, eod.9.*
*Alia diuiſio, 10.*
11 *Homicid. a fortuita exſilio voluntario punita.*
*Vrbes refugii, quæ apud Hebræos. eod.*
*Solum vertere quid, & quare verterent antiqui.eod.*
*Fortuiti caſus quomodo punirentur. eod.*
12 *Profugus quis.*
*Solum ſponte qui verterunt. eod.*
*Magiam didiciſſe Ægyptiorum accuſatus Protagoras. eod.*
13 *Deportatio quid adhuc, & deportatorum conditio.*
*Exſilium inuoluntarium proprie, & improprie quid. eod.*
14 *Relegatio quid, & quomodo differat a deportatione.*
15 *Hebræorum exſilia, & transmigrationes.*
16 *Interdictio loci quid.*
17 *Interdicere quid.*
Banniſſement *quid. eod.*
18 *Exſilium gradus pœnarum.*
*Exſulam ante tempus in prouinciam redeuntium pœna. eod.*
*Banniti quando a quolibet, & vbi occidi poterant. eod.*
19 *Banniti ad tempus, ſi carcere detineantur, imputant illud tempus exſilio. Carceris tempus damnatis ad remos, vel ad exſilium in tempus imputatur in diminutionem pœnæ. eod.*

1 TErtia † pœna homini impoſita eſt exſilii: nam poſtquam de-
liquit primus homo, eiecit eum de paradiſo, ſeu loco volu-
ptatis Deus, vt terram coleret. Itaque peregrinus, & exſul factus
a patria, eiuſque poſteri. *Geneſ.3.cap. Adam, de pœniten. diſtinct.
1.c.in capite, 50 diſtinct.* Et proinde omnes vere philoſophantes
patres antiqui, & Chriſtiani ſe peregrinari in hac vita, & peregri-
nos eſſe profeſſi ſunt. *Geneſ.23.Pſalm.38. Hierem.35. ad Hebr.c.
11. 1.Petri, cap.2.* Peregrinamur namque vere a domino. *2.ad
Corinth.c.5.* Nam patria noſtra, ad quam properamus, æterna vi-
ta eſt, nec habemus hic ciuitatem permanentem, ſed futuram
inquirimus.. Eſt autem illa ciuitas Hieruſalem cœleſtis, quam D.
Ioannes in Apocalypſi deſcripſit. *cap.21.* Hoc etiam Plato dixit,
παρεπιδημία τις ἐστὶ ὁ βίος, vita peregrinatio, quædam eſt.
2 ¶ Hanc † peregrinationem vniuerſorum hominum ſequuta
eſt alia particularis peregrinatio, quando a loco natiuitatis quis
in aliam tranſit patriam vel ciuitatem, vel coloniam. Peregri-
nique dicuntur omnes extranei alienigenæ. *§.1.de non elig.ſecun.
nupt.in Authen.§ fin.de hered.inſtit.ap.Iuſtin.* Atque etiam Romæ,
illi peregrini, qui non adepti erant ius ciuitatis: vnde & prætor
peregrinis, qui ius dicebat inter alios, quam ciues Romam venien-
tes, *l.2.§.cumq; conſules de orig.iur.*
¶ Proinde † peregrinatio eſt, vel voluntaria & ſine ignominia: 3
alia ob crimen, coacta. Voluntarias peregrinationes plures obie-
runt, vel vt vitæ neceſſaria pararent, alios docerent, vel vt diſce-
rent, & vt laboribus ſuis peccatorum pœnitẽtiam agerent: cum
poſt diluuium homines multiplicati ſunt, ędificata, vel cœpta tur-
ri Babel, ſeſe in nouas colonias diuiſerunt. *Geneſ.c.10 & 11* Pere-
grinatus Loth, Abraham, *Geneſ.12.* Iſaac, Iacob, & alii patres He-
bræorum. Peragrarunt fere vniuerſum orbem D. Petrus & Pau-
lus, vt conſtat ex hiſtoria Actuum Apoſtolorum, & ex libris re-
cognitionum D. Clementis. Idipſum fecerunt & ceteri Apoſto-
li, & diſcipuli Domini, diſſeminandi Euangelii cauſſa, vt in ſacris
literis apud Abdiam Babilonicum, & in recognitionum libris
Clementis, & aliis hiſtoriarum monumentis legimus. Diſcendi
cauſſa Philoſophi & præſtantes quidam viri orbis perluſtrarunt
magnam partem: vnde ſapientiores facti creduntur, vt Empedo-
cles, Pythagoras, Democritus apud Magos verſati in Babylonia;
Platoque, vt illi, in Ægyptum profectus. Apollonius Tyanæus
quoque fuit in Babylonia cum Magis, in India cum Brachmanis,
in Ægypto cum Gymnoſophiſtis. *Iamblic.in princ. libri de myſter.
Ægyptio.Philoſt.in 1.de vita Apollonii.* Strabo, & Diodorus Sicu-
lus, & Herodotus fere ſtudio inquirendi, vniuerſum orbem per-
agrarunt, vt ipſi teſtantur. Vlyſſes heroum ſapientiſſimus habi-
tus, quod ſæpius aduerſam fortunam expertus, multorum vrbes
ac mores conſpexit, vt ait Diodorus Siculus. *in princ. Biblio.in pro-
œm.* Hoſque Fridericus Cæſar, qui diſcendi cauſſa peregrinantur
dignos miſeratione & fauore arbitratur. *conſtit. habita, ne filius
pro patre, libr.4. C titu.13.* Dicebat Apollonius Tyanæus, *Philoſt.
in 1. de vita Apollonii.* adoleſcenti maxime conuenire, ne ſecus ac
ſi patria pulſus eſſet, quam longiſſime peregrinari. Galenus quo-
que in Iudæam nauigauit, vt verum Balſamum a falſo dignoſce-
ret. *Galen.lib.de Antidot. Amatus Luſitan lib.1. enarratio, in Dioſ-
corid enarrat.18.* Memorat idem Galenus ſe ſphragillis, ſeu terræ
ſigillatæ noſcendæ cauſſa in Inſulam Lemnon nauigaſſe. *libr.9.
ſimplic.medica.*
¶ Ex † hoc exſilii genere, peregrinationes temporales intro- 4
ductæ ſunt, quibus pœnæ loco plura peregrinantes patiuntur, vel
viſitandi ſacra loca gratia, aut ſanctorum baſilicas, *can.ſi quis Ro-
mipetas, 24.q.3.* quarum conuentus qui contempſerit per ſuper-
biam, anathema dicitur. *c.ſi quis per ſuperbiam, 30.diſt.ex Gangrẽ.
concil.* Finis namque harum eſt, non vt noui quippiam curioſita-
te quadam impulſi videamus, aut veterarum cladium rudera, ob
quæ peregrinati quidam hiſtoriographi, & quidã nunc antiqua-
rii: ſed vt labores ob peccata ſuſcipiantur, vt D. Petrus formam
conſtituit, *1.Pet.epiſt.ca.4. Cariſſimi,* inquit, *nolite peregrinari in
feruore qui ad tentationem vobis fit, quaſi noui aliquid vobis contin-
gat: ſed communicantes Chriſti paſſionibus gaudete.*
¶ Tales † peregrini ſunt in tutela ſummi Pontificis, ſeu eccle- 5
ſiæ, *c.innouamus de treu.& pace, c. vni. de peregrin.* atque qui eos
ſpoliauerint, excommunicantur. *d.c.ſi quis Romipetas, cum 2.ſeq.*
Et ita ſunt de foro eccleſiaſtico, *Specul.titu de compend. iudic. §.1.
verſ.28.* quamuis & Imperator eos tueatur quoque. *l.omnes per-
egrini, C.commu.de ſucceſſio.* Frequens erat olim modus in pœnis
imponendis in foro eccleſiaſtico peregrinatio: vt presbyter, qui
reuelat exomologeſim ſibi commiſſam, iure antiquo debebat
deponi, & omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſus peregrinari. *c.
ſacerdos, de pœnit.diſtinct.6.*
¶ Erat † Oſtraciſmus, *Ariſt.3.Polit c.9.* apud ciuitates quaſdam 6
populari imperio gubernatas, quo tollebant eos ex ciuitate, qui
ſupereminebant, & in exſilium pellebant, propter æqualitatem
conſeruandam, quam complectebantur. Ob quam, qui ſuper-
excellere videbantur, vel propter diuitias, vel propter amicos;
vel propter aliquam aliam ciuilem potentiam, extra ciuitatem
relegabantur in tempus aliquod terminatum. Hermodorus
Epheſius exſulare iuſſus, quod vir probus eſſet. *Cicero 5. Tuſ-
culan.* Cui poſtea ſtatua Romæ poſita eſt, quod auctor fuiſſet ha-
bendarum legum a Græcis. *Plin.lib.34.Strab.li.14.Pomp.l.2 §.poſt-
ea ne diutius, de origin.iur. in P.* Huic exſilio ſimile videtur il-
lud, quod indixit impius Nicephorus Imperator Orientis,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

qui Irenem expulit: is enim coegit Chriſtianos ex omnibus regionibus in Schlabinas demigrare, & eorum habitationes diuendidit. *lib. 1. iur. Orient. in conſtit. Nicephori.* περὶ στρατείας τῶν ἀπόρων. *de militia pauper.*

7 ❡ Coacta † peregrinatio, quæ criminis cauſſa impoſita fuit, dicit deportatio: *Qui deportantur*, inquit T. Ælius Antonin *l. 1 de here. inſtit. lib. 6. C. tit. 24. ſi heredes ſcribantur, tanquã peregrini capere non poſſunt.* Per eam enim deportationem quis ciuitatem amiſit. *l. inter pœnas, 6. de interdict. & relega. P. l. amiſſione, 5. de capitis diminu. lib. 4. 5.* Proinde ad peregrinitatem redactus dicitur ab Vlpiano. *l. 2. de pœn. in P. & l. 3. ad leg. Iul pec. in P. tit. P.* Et per conſequens erat eius iuris aquæ & ignis interdictio, in cuius locum ſucceſſit deportatio. *l. ſed ſi, 10. §. liberos, de in ius voc. lib. 2. P. tit. 4.* Et hi proprie deportati exſules, ceteri relegati.

8 ❡ Attamen † exſilii nomen peregrinationem hanc complectitur, & alias: quia exſul, ſi Nonio Marcello & Feſto credamus, dicitur, qui extra ſolum proprium poſitus eſt, id eſt, ſine eo, vel extra ſolum ſeu locum. Et Seneca, *Exſilium loci*, inquit, *commutatio eſt, de conſola.* Et Cicero, *Iam vero exſilium, ſi rerum naturam, non ignominiam nominis quæramus, quantum demum a perpetua peregrinatione differt. 5. Tuſculan.* Et Ouid. 3. *de Triſtib.*

*—Per externas profugus pater exſulat oras.*

Et Philiſcus apud Dionem Caſſium, *lib. 38. hiſto. Rom. Exſilium eſt peregrinatio quædam cum ignominia coniuncta.* ❡ Marcellus †
9 exſilium triplex conſtituit, *in l. auxilium eſt, 5. de interdict. & releg. lib. 48. P. tit. 22. aut eſt*, inquit, *certorum locorum interdictio: aut lata fuga, vt omnia loca interdicantur, præter certum locum; aut inſulæ vinculum:* id eſt, relegatio in inſulam. Exſilium quidem ſemper in pœnam non vtique impoſitum eſt: verum illud contendo, ſi in pœnam non ſit, tamen ob pœnam euitandam frequentius eſſe inuentum: ſolum vertere & mutare. Proinde in malam partem perpetuo exſilii nomen accipiendum: cum tamen peregrinatio ſæpius laudabilis dicatur.

10 ❡ Proinde, † vt de exſilio, & quæ exſilii ſunt, inuoluta euoluamus, dico exſilium aliud eſſe voluntarium ob pœnæ metum: vel ex iudicio in pœnam decretum. Vtrumq; & perpetuum, aut temporale eſſe poteſt.

11 ❡ De † voluntario primum inuenio profugum & exſulantem Cainum, qui poſtquam Abelem fratrem occidit, egreſſus a facie Domini, factus eſt profugus ad Orientalem plagam Edem. *Geneſ. 4. Ioſue 20.* Qui non præmeditate, ſed caſu occiderant in lege antiqua proximum, fuga mortis periculum vitabant, *Deuter. 4.* in ciuitatibus refugii exſulando: lex enim erat a Deo conſtituta, *Numer. cap. 35. ſi interfector extra fines vrbium, quæ exſulibus deputatæ ſunt, inuentus fuerit, & percuſſus ab eo, qui vltor eſt ſanguinis, abſque noxa erit, qui eum occiderit.* Debebat enim exſul in vrbe vſque ad mortem Pontificis reſidere: poſtquam autem deceſſiſſet, homicida reuertebatur in terram ſuam. Hoc ipſum inter Ethnicos & alios populos, quã Hebræorum obſeruatũ cognoſcimus ex M. Tullii Ciceronis verbis, *pro Aul. Cæcin. Exſilium*, inquit, *non eſt ſupplicium, ſed profugium portusq; ſupplicii. Nam qui volunt pœnam aliquam ſubterfugere, aut calamitatem, eo ſolum vertunt, hoc eſt, locum & ſedem mutant. Itaq; in nulla noſtra lege reperietur, apud ceteras ciuitates maleficium vllum exſilio eſſe multatum: ſed cum omnes vincula, neces, ignominiasq; vitant, quæ ſunt legibus conſtituta, confugiunt quaſi ad arma in exſiliũ. Qui ſi in ciuitate legis vim ſubire vellent, non prius ciuitatẽ quam vitam amitterent.* Et alibi, *Quid enim exſul? ipſum per ſe nomen calamitatis, non turpitudinis.* Memphitarum lege homicida, qui etiã inuitus occidiſſet, exſulare debebat, & proficiſci ad Gymnoſophiſtas: neq; prius in patriam redire poterat, quin ab illis fuiſſet abſolutus: & ſi illi abſoluere nollent, in montibus errabat, donec Gymnoſophiſtas illius miſereret, vt ait Philoſtrat. *lib. 6. de vita Apoll. c. 3.* Apud Græcos fortuiti caſus voluntario exſilio damnabantur. *Xenoph. lib. 4. de Cyri. minoris expedit. Homer. Ilia. 2. l. aut facta §. euentus, de pœn. in P.* Et erant homicidarum homicidia pmiſſa, donec de his cognitum fuiſſet. Sicq; refert legem Demoſthenes. *aduer. Ariſtocratem* ἐὰν δή τις τὸν ἀνδροφόνον κτείνῃ, ἢ αἴτιος ᾖ φόνου, ἀπεχόμενον ἀγορᾶς ἐφορίας, καὶ ἄθλων, καὶ ἱερῶν ἀμφικτυονικῶν, ὥσπερ τὸν Ἀθηναῖον κτείναντα &c. *Si quis homicidam ceciderit, aut cædis eius cauſſa fuerit, is abſtineat foro collimitio, & ludis & ſacris Amphictyonicis, perinde ac ſi Athenienſem occidiſſet.* ❡ Hi † qui ita volũtario exſilio ob metum alicuius rei ſe patriæ ſubtrahebant, mea ſententia profugi nomen merentur, αὐτόμολοι, vt apud Plautum.

*Quid nunc agam neſcio, niſi vt improbos famulos imiter, ac domo profugiam.*

Ita ferunt Cononem ducem Athenienſium, impatientem cladis acceptæ a Lyſandro Lacedæmonio, in prælio nauali, ſpontaneum delegiſſe exſilium, & fugiſſe ad Artaxerxem Perſarum regem in Cyprum, cuius auxilio poſtea patriam in libertatem aſſeruit. *Liu. lib. 69.* Et Protagoras Abderites Menandri filius, & auditor Democriti, accuſatus ab Athenienſibus, quod Perſarum magiam & diſciplinam didiciſſet, ſponte exſulauit. L. Apuleius Saturnius trib. pleb. cum ſe videret odioſum ob legem Agrariam, aliasq; factiones, Rhodum profectus eſt in voluntarium exſilium.

❡ Exſilium † inuoluntarium, & in pœnam inflictum, proprie 13
& improprie, vt monui, dicitur, proprie deportatio eſt, quæ erat perpetua in exſilium, ſeu in inſulam commutatio: quę pœna, quia adimebat ciuitatẽ, *l. inter pœnas, 6. de interd. & releg.* erat grauiſſima, & capitalium criminũ, vt eam non liceret pręſidib. puinciarũ inconſulto principe, aut ſine eius conſenſu imponere, etſi præfecto vrbis liceret. *d. l. inter pœnas.* Et, vt Plinius ait, non liceret de exſilio niſi die quadraginta quinque electis viris dare tabellam. *libro 29. c. 21.* Deportati cum ciuitatem amitterẽt & bona, nec manumittere poterant, *l. 2. de inter. & relega.* nec teſtari, *l. 1. §. hi, de leg. 3.* non ab inteſtato filiis hereditatem relinquere, *l. 3. de interd. & releg. P.* nec poteſtatem in eos habere, *§. cum autem, quib. mod. ius pat. pot. ſol.* non legatum accipere. *l. ſi deportati ſerui, §. 1. de leg. 3.* Omnia quippe bona deportati fiſco applicabantur. *l. deportatorũ, C. de pœn. cum ſimil.* Proxima morti eſt in inſulam deportatio. *l. capitalium, de pœn. in P.* nam apolides, omnib. iuris ciuilis priuilegiis exuti, retinent tantum quæ iuris gentium ſunt. *Mart. l. quidã ſunt, 17. de pœn. in P. l. ſi deportati ſerui, §. 1. de lega. 3. l. conſilio, §. pen. de curat. furio. C. l. legatum, de cap. dimin.* Et in ſumma deportatio, rerũ omnium ſpoliatio eſt. Sicut reſtitutio deportati indicat, quæ bonorum ac dignitatis vno nomine amiſſorum eſt recuperatio, *vtrumq; Conſtant. in l. fi. §. fi. C. de ſenten. paſſ. & reſt. lib. 9. C. tit. fin. & l. 1. eo. tit.* ita amiſſis bonis, ciuitate relicta, nudus exſulat, vt ait Paulus Iuriſcon. *l. tutelas, 7. §. fin. de cap. diminu. lib. 4. P. tit. 5.* Philo Iudæus, *lib. de Abrahamo* tradit, ſecundam ab extrema capitali pœnam atrociſſimorum criminum conuictis imponi a Iuriſperitis exſilium: ſuo autem iudicio, vltimo eam eſſe ſupplicio grauiorẽ. Siquidem mors calamitatum finis eſt: exſilium vero non finis, ſed malorum nouorum initium, dum euitata vna ſenſu carente, innumeræ mortes ſentiuntur. Et certe quo magis ſupra omnia nobis chara patria, & proximi, & amici ibidem exſiſtentes, eo maior & aſperior quotidiana pœna, diuulſum & priuatum illis ſe videre.

❡ Formam † habet deportationis relegatio, quæ in perpe- 14
tuum, vel ad tempus fit: verum non ita ſeuerum habet iudicium, vel exſilium. Nam in deportatione locus certus deputatus & definitus pœnæ cauſſa, ex quo excedere non licet, vt in Pathmon inſulam deportatus fuit D. Ioannes Euangeliſta. Vocaret idioma tritum confinatos deportatos, quaſi intra fines concluſos. Hoc ipſum in relegatione, ſed eius mitior cauſſa. Siquidem relegati in poteſtate liberos ſuos retinent, & omnia alia iura ſua, & bona, præter ea, quæ eis per ſententiam mulctæ nomine erepta ſunt. Sicuti poteſt adimi iis, qui in perpetuum exſilium relegati ſunt, *Marc. omnia hæc, in l. relegati, 4. de interd. & releg.* etſi iis quoque inſulam deſignatam egredi non liceat. *l. relegati, & l. exſilium, 5. eod.* At deportatione in perpetuum quis inſulæ vinculum ſubit: relegatione ad tempus, & in perpetuum, ſed cum retentione bonorum ſuorum, & factionis teſtamenti actiuæ & paſſiuæ, & ciuitatis. *l. relegatorum, 7. §. hæc eſt differentia, & §. ſeq. de interdi. & relegat. P. l. capitalium, de pœn. P.* Ideo præſidibus prouinciarum permiſſum eſt in inſulam relegare, ſi ſuæ prouinciæ inſula ſit: vel ſi alterius, conſulto principe. *dict. l. relegatorum.* Et iſtæ propriæ differentiæ ſunt Iuriſconſultorum, cum apud Latinitatis auctores deportatio pro relegatione, vel in aliam regionem vel ciuitatem tranſlatione ſimpliciter accipiatur, vt notat P. Crinitus, *lib. 22. de hone. diſcipl. c. 5.*

❡ Hebræi populi ob ſcelera in ſeruitutem ducti & capti exſu- 15
larunt a propriis penatibus, tranſlati in Babylonem per tranſmigrationem ſub Nabugdonozor, anno eius imperii 3. Et poſtea aliis duobus temporibus. Iterum tempore Veſpaſiani capti Iudæi, deportati in Hiſpanias, & alio. *in l. qui ſcribitur, ſedec Olam Zutha. breue chronicum mundi Hebræorum.* Trãſtulit Salmanaſar rex Aſſyriorũ capta Samaria, Iſraelẽ in Aſſyrios, tẽpore, quo Achã erat rex Iuda. 4. *Reg. 17.* Et iterũ anno 9. Oseæ regis Samariæ, capta Samaria, rex Aſſyriorum tranſtulit Iſraelis populum in Aſſyrios,

& conſti-

& conſtituit eos in Haila, & Abor fluuiis. Gozam in ciuitatibus
Medorum, 4. *Reg.* 18. Recepta etiam exſilii deportatio iure pon-
tificio, poſtquã quis verberibus publice caſtigatus clericus, pri-
mum ordine priuatur, *c.1. de cal. lib. 5. Decreta. tit. 2. c. hi qui. 3. q. 4.*
*Barbat. in c. cum non ab homine, col. 6. verſ. & dicit hoc, de iudic. vi-*
*de Prepoſ. in c. in primis, 2. q. 1.* Prodeſt interdum conuerſis, pro ſa-
lute animæ ſuæ, mutatio loci. Plerumque enim, dum mutatur lo-
cus, mutatur mentis affectus, *c. valet, 81. diſt.* Facit & *c. 1.* de raptor.
16 vt poſſit latam fugam reo epiſcopus imponere. ¶Alia † relegatio
eſt, quæ nõ habet aſſignationem loci, intra quem quis ſe debeat
continere, vt præcedens: imo contra habet liberas nationes, &
vagandi, demto vno loco, qui interdicitur, licentiam. Et ita rele-
gatio ab illo loco, vel exſulatio dicitur, *l. exſilium, 5. de interdict. &*
*releg. in P. l. relegatorum, 7. §. ſolet, eod. tit.* & interdictio. Sic in exſi-
lium damnatus Cicero a Craſſo, Cæſare, & Pompeio. Facultates
tamen eius publicatæ, ædeſque eius, tanquam hoſtis, ſolo æqua-
tæ, & earum area templo Libertatis conſecrata fuit, iuſſus abeſſe
Roma 468. millia paſſuum: prætereaque edictum, vt ſi intra eos
fines veniſſet, & ipſe, & qui eum ſuſcepiſſent, impune a quouis
occidi poſſent, *Dion Caſſius lib. 38. hiſtor. Rom.* Eam pœnam quo-
que Fridericus *in §. 1. verſ. qui vero ad prædictam pœnam, de pace te-*
*nenda, lib. 2. Feud. tit. 53.* Imperator imponit pacis infractæ violatori-
bus, vt ſi bona non habẽt, ex quibus mulcta indicta ſolui nõ poſ-
ſit, corporis ſui correctionem in verberibus patiantur, & procul
ab eo loco, quem inhabitabant quinquaginta milliaria, per quin-
quennium vitam agant. Ad hanc interdicti ſpeciem pertinet illa,
quæ Mariæ ſorori impoſita eſt, vt extra caſtra moraretur, neque
in ea reuerteretur per aliquot dies, *Numeror. c. 22.* Interdictio et-
iam aliquando continet, ne quis certum locum egrediatur, vel
domum ſuam, *l. ſi. de interd. & releg.* vel alterius, nos dicimus *bail-*
*ler l'arreſt en ſa maiſon, ou ailleurs.* Si autem quis in certo loco cõ-
cludatur ad tempus, vel in perpetuum, tunc non erit interdictio
ſimplex, ſed potius carcer, cuſtodiave publica, vt infra in carceri-
17 bus, Deo fauente, dicemus. ¶Et † generaliter interdicere, nihil
aliud eſt, quam prohibere & denuntiare, *§. ſunt tamen, de interd.*
*apud Iuſtin.* Sic dicimus adminiſtrationem interdici tutori accu-
ſato de ſuſpecto, *§. ſi quis autem, de ſuſpect. tutor.* & prælato res ec-
cleſiæ diſſipanti, *c. vlt. extra de accuſat.* Ita & interdicere patria, *l.*
*nullis, 10. de ſenten. & interloc. om. iud. lib. 7. C. tit. 45.* & ſic de ſimili-
bus, nos *banniſſement* dicimus interdictum hoc, exſulare: quod
generale eſt, vel particulare. Generale, eſt lata fuga dictum, *l. exſi-*
*lium, 5. de interdict. & releg.* quando vniuerſorum locorum fit in-
terdictio: vt cum quis iubetur fines regni, vel prouinciæ excede-
re. Particulare certorum locorum eſt prohibitio. Omitto inter-
dicta locorum & perſonarum, quæ ex cenſura eccleſiaſtica pen-
dent, de quibus, Deo fauente, paulo poſt. Eſt & pœna illa ſtatuta
interdictio, quæ patronis cauſſarum fit ex cauſſa, ne intra annum,
vel in perpetuum poſtulent, ne certis perſonis adſint, ne in tri-
bunali præſidis cauſſas agant, vel in alio certo tribunali. Interdici-
tur & foro, id eſt, forenſibus negotiis, & aliis priuatis actionibus,
quæ explicat Vlpianus *l. moris, 9. de pœn. in P.* Et apud Demoſthe-
nem *aduerſus Ariſtocrat.* de homicidæ inuoluntarii exſilio, ὅτι πᾶ-
σιν ὅρος τοῖς ἀνδροφόνοις, τῆς τοῦ παθόντος εἴργεσθαι πατρίδος, id eſt, *termi-*
18 *nus eſt homicidiis omnibus, interfecti patria prohiberi.* ¶In † exſuli-
bus gradus pœnarũ ſunt. Ideo ſi qui ad tempus relegatus eſt ſim-
pliciter, ante redeat, in inſulam relegatur: ſi is qui relegatus eſt in
inſulam, eam exceſſerit, deportatur: qui deportatus euaſerit, capi-
te puniatur, *Marc. l. relegati, 4. & Calliſtrat. l. capitalium, 28. de*
*pœn. in P.* Non enim licebat excedere præſcriptos exſilii fines, ne
pœna & indicia illudantur. Proinde relegatus quidã a Iulio Baſſo
proconſule, ante tempus elapſum in prouincia interdicta mora-
ri repertus, vinctus ad præfectos prætorio miſſus eſt per procon-
ſulem Caium Plinium, qui deſpicerent, num damnati in metal-
lum, an ſummo ſupplicio, ſecundum gradus qui in pœnis obſer-
uantur, affici deberent, *Plin. Nepos, lib. 10. Epiſt.* Draconis leges
permittebant exſules capere propria auctoritate, deferre, & oc-
cidere, *Demoſth. contra Ariſtocratem,* ſcilicet ſi in locis interdi-
ctis reperiebantur. Et diſputant noſtri, num hodie id liceat, *Bart.*
*Bald. Pau. Caſtr. in l. 1. C. de ſumma trinit. Alberic. de Roſate in l. ſer-*
*uus, C. de his qui ad eccleſ. confug. in ca. ſtatuimus, 17. q. lib. 4.* Et ex
præſcripto conſuetudinis rati quidam ſunt, & licere propria au-
ctoritate: mihi id non placet, ſed capi quidem poſſe arbitror, &
non niſi iudicis auctoritate necandos. Nam & in deportato, iudi-
cis pronuntiationem, vt capitali ſententia mulctetur, exigit Mar-
tianus, *l. 4. de pœn. in P.* Nec eſt ſingulis concedendum, quod per
magiſtratus fieri poteſt, *l. non eſt ſingulis, de reg. iur.* Idcircoque iu-
diciorum vigor eſt, ne quiſquam ſibi valeat indulgere vindictam,
*l. nullus, C. de Iudæis.* etiamſi quis ſceleſtiſſimus dicatur, ne præte-
xtu zeli Reip. quis vindictas exerceat priuatas, *l. ſi. de malef. & ma-*
*the. C.* Et inauditum, & aliquando ante necauerit, quam exami-
nauerit: cum tamen indicta cauſſa nemo damnari debeat. *l. 2. de ſi-*
*car. in P.* ¶Quod † & ſenatuſconſulto eſt Romæ ſancitum, teſte 19
Tacito *Annal. lib. 18.* Veruntamen obſeruandum eſt, damnatos
in exſilium temporale, ſi poſt ſententiam retineantur carcere,
tempus illud carceris computari pro tempore exſilii. Et ſi pen-
dente cuſtodia lapſum ſit tempus, non poſſe in exſilium mitti, ſed
ſolui a carcere liberos, ac ſi impleſſent exſilium, *l. omnes quibus, 23.*
*C. de pœn. lib. 9. tit. 47.* Veluti & qui vere exſularunt, tempore im-
pleto, in carcerem coniici ex priore delicto, vel loco interdicto
antea arceri nequeunt, *l. pen. C. de pœn.* Quæ notabilia ſunt in fa-
uorem reorum, qui damnati ad remos ſunt, & in ſimilibus, quos
vocant bannitos.

## De pœna ieiunii & abſtinentiæ a cibis.
## Cap. 7.

1 *Ieiunii laudes.*
2 *Ieiunium in pœnam quomodo datum.*
3 *Ieiunium abſtinere a peccatis optimum, quod iungitur corpo-*
*rali.*
*Ieiunium purgare animã a peccatis ex religione, & Ethnicorum*
*comprobationibus oſtenditur. eod.*
*Ieiunia ſtata, & indicta quæ. eod.*

QVarta † pœna diuina erit ieiunium, & abſtinentia ciborum. 1
Scio ieiuniorum vires plures eſſe, verum & illa eſt pro pec-
catis eluendis, ſicut ex D. Ambroſio *Serm. de Helia & ieiunio, c. 3.*
coniicimus. *Quid eſt,* inquit, *ieiunium, niſi ſubſtantia & imago cœ-*
*leſtis, refectio animæ, cibus mentis? ieiunium, vita eſt angelorum, ie-*
*iunium culpæ mors, excidium delictorum, remedium ſalutis, radix*
*gratiæ, fundamentum caſtitatis.* ¶Omittam † reliquas vires eius, 2
tantum illud, quod inſtitutum eſt, perſequar: in pœnam ieiunia
indicta, vt ſoluatur delictum & reconciliatio fieret cum Deo, qui
inimicus erat ob peccatum. Alia ex theologis cognoſcẽda relin-
quam intacta: nam in illis copioſe demonſtrandis laborarunt &
antiqui, & recentes ſacri patres, vt Diuus Baſilius *ſerm. de ieiunio,*
Diuus Ambroſius *de Helia & ieiunio, & ſerm. 40. de ieiuniis Ni-*
*niuitarum,* Bernardus *Serm. 4. in initio ieiunii,* Diuus Chryſoſto-
mus, *de ieiunio & tentat. Chriſt. Gregor. Nicenus orat. de pauper. a-*
*mandis,* & alii. ¶Ieiunium † quidem magnum & optimum eſt, 3
abſtinere a peccatis, & illecebris voluptatum, *c. ieiunium, de con-*
*ſecrat. diſtinct. 5.* Et ſine quo corporis ieiunium parum prodeſt,
*Ieſa. c. 58. Eccleſ. 54. can. nihil prodeſt, de conſecrat. diſt. 5. c. auctorita-*
*tem, 15. q. 6.* Verum & hoc, quod a cibis eſt, corpus affligit & diue-
xat, vt melius ſpirituali ieiunio obſequatur, *D. Chryſoſt. tomo 1. ho-*
*mil. 8. in Geneſ.* & iam immiſſas eluat antidoto ſordes. Sicut initio
abſtinentia & ieiunium ligni vitæ inditum, ne incideret homo in
peccatum, *c. ſexto die, 35. diſtinct.* Ergo ad pœnam quoque perti-
nere ieiunium doceo ex ſacra ſcriptura, & ſacris patribus. Etenim
per Iohelem *cap. 2.* Deus ſic loquitur, *Conuertimini ad me in ieiu-*
*nio, fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta ve-*
*ſtra.* Audita prophetæ comminatione ieiunauit Achab rex Sa-
mariæ, & dormiuit in ſacco, 3. *Reg. 23.* Et Iudith *cap. 3.* dicebat, *ſi*
*in ieiuniis & orationibus permanſeritis coram domino, exaudiet pre-*
*ces veſtras.* In pœnam eſſe & docet Dauid, *Pſal. 34. humiliabam in*
*ieiunio animam meam, & oratio mea in ſinum conuertetur.* Et Mo-
ſes in Numerorum libro *ca. 30. ſi mulier iuramento & voto ſe con-*
*ſtrinxerit, vt per ieiunium & ceterarum rerum abſtinentiam affli-*
*gat animam ſuam, in arbitrio viri erit, ſi faciat, &c.* Solentque o-
ratione & ieiunio dæmones, qui corpora obſident, & mentes e-
domari, *Marci 9. Sicut in viſceribus puerorum,* inquit Diuus Baſi-
lius *Serm. de ieiunio, vermes acutis medicinis expelluntur: ſic pecca-*
*tum in animo radicatum, ieiunium interficit.* Et Diuus Ambroſius,
*appetentia voluptatum conſtat Adamum a mandatis Dei excidiſſe.*
*Quomodo igitur nos voluptas ad paradiſum reuocare poteſt, quæ ſo-*
*la nos paradiſo exuit? Vnde dominus volens nos aduerſus diaboli ten-*
*tamenta fortiores reddere, certaturus ieiunauit, vt ſciremus quia ali-*
*ter illecebras mali non poſſe nos vincere. Aut quæ ſalus nobis eſſe poteſt,*
*niſi ieiunio eluerimus peccata noſtra?* Athanaſius *lib. de virginitate,*
*Amplectamur valde ieiunium, magnum enim munimentum eſt ie-*
*iunium, & oratio, & eleemoſyna, cum ex morte homines liberet: vt*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*enim ob eſcam & inobedientiam perturbatus eſt Adam ex paradi-
ſo,ita rurſum per obedientiam & ieiunium in paradiſum, qui volet,
redibit.* Cum per id ieiunium Dei gratia ad miſerendum flecta-
tur,ieiunium delinquentis vulnera curat,curatos ſanctificat, *d.c.
ſint tibi ieiunia,de conſecrat.diſtin.5.* Satisfacit pro commiſſis,*can.
igitur,76.diſtinct.* non tantum viuentium, ſed & eorum, qui iam
hinc emigrarunt,*c.animæ defunctorum,*13.*q.*2. Neque ſoli populi,
qui Dei veri cognitionem habuerunt, ieiunia ad expianda deli-
cta valere,& ad purgandas animas exiſtimarunt: ſed & inter Eth-
nicos ii,qui ſerio philoſophati ſunt. Atque Clemens Alexandri-
nus *orat. adhortat. ad gentes*, myſteriorum Eleuſinorum ſignum
fuiſſe,hæc verba tradit: *Ieiunaui, potum confectum bibi,ex ciſta ac-
cepi:poſtquam feci,depoſui in calathum, & ex calatho in ciſtam.* Por-
phyrius teſtatur *lib.2.de abſt.animal.vbi de his plura vide*, theolo-
gos gentilium iubere ſuis ſacrificulis,antequam ſacrificarẽt, pur-
gare animum ieiunio,ac præcipue animalium abſtinentia. Exiſti-
mant namque,inquit,ſanctam animi puritatem, ſymbolum eſſe
characteremque diuinum,quo cuſtodiaris: adeo vt nihil patiaris
ab ſpiritibus dæmonum. Quamobrem quia in pœnam delicti &
ieiunia inflicta,quia omnibus temporibus anni peccatur, omni-
bus quoque ſtata quædam ieiunia,*c.huius obſeruantiæ,76.diſtinct.*
quædam etiam indicta & repentina, vel a nobis ipſis,vel a ſupe-
rioribus. Stata ſunt in temporibus decretis, prout refert Gratia-
nus per totam ſeptuageſimam ſextam diſtinctionem, vbi & pa-
trum leges adfert. Et Innocentius tertius in c.*1.* & 2. de obſeruat.
ieiunio.*lib.3.Decret.tit.*47.& alii, *Alber. in diction. in verb ieiuni-
um.* Vt immorari hic non expediat. Adiiciam tãtum Acrium hæ-
reticum fuiſſe olim iudicatum, quod tempora præſtitui ieiuniis
nõ debere dixerit,teſte Epiphanio. Indictum ieiunium eſt, quod
extra tempora decreta ieiuniis ob placandam iram Dei indici-
tur,vel ob aliam cauſſam:quod niſi quis ſeruauerit legitime indi-
ctum,concilio Maguntinenſi anathematizatur,*in concil.Magun-
tin.can.35.* Sic filii Iſrael contra Philiſtæos pugnaturi indixerunt
ieiunium:ieiunauerunt,& clamantes dixerunt Deo, *tibi peccaui-
mus Domine,*1.*Reg.*7. Et Dauid propter infirmitatem filii ſui ſibi
indixit ieiunium, 2. *Reg.3.* Et Iudith tempore indictum populo
metu Holofernis,*Iudith 4.* Et cum eradenda eſſet Iudæorũ gens
ab Aſſuero,inuidia Amanitis,per Heſter indictum ieiunium, *E-
ſter cap.*14. Et tempore Iohelis,*Iohel.* 14. & Ionæ inter Niniuitas,
*Ionæ cap.3.Matth.*12. *Lucæ* 11. Gradus abſtinentiæ plures ſunt in
ieiunio ſtato,vel indicto. Nam aliis licet aliquibus temporibus
lacticinia edere,aliis non licet, aliquando oleribus tantum & vi-
no vti,aliquando pane & aqua ſolum. Quæ omnia vel lege, vel
conſuetudine recepta ſunt, vel proprio ſtatuto. Vnde ieiunium
aliud allo lenius & grauius, ratione rerum, perſonarum,& tem-
poris,& criminis,vt licet obſeruare ex canonibus pœnitentiali-
bus,*c.hæc omnia,72 diſtinct.c.accepiſti,de ſponſal.duor.ca.admone-
re,33.quæſt.2 c.accuſaſti,de accuſat.extra.c.quicunque,6.quæſt.1.c.
qui compulſus,22.quæſt.5.can.ſi quis conuictus,eo.c.dæmon,22.q.2.
c.licet,de pœnit.& remiſſ.*

## De excommunicatione. Cap. 8.

1 *Excommunicatio pœna diuina eſt, & quomodo.*
*Quid,& ſpecies. Et 2.*
3 *Excommunicatio ciuilis quid, & a quo fiat.*
4 *Aqua & ignis interdictio quid.*
*Regis delinquentis modus punitionis.eod.*
5 *Aqua & ignis in nuptiis myſteria.*
*Extorris quare quis dicitur.eod.*
6 *Aqua & igne expiata crimina.*
*Expiatio criminum aqua & igne,quomodo fiebat ethnicis.eod.*
7 *Igne expiari poſſe ſcelera quomodo ethnici & noſtri docent.*
8 *Deportatio ſucceſſit in locum interdictionis aquæ & ignis, qua-
re.*
9 *Excommunicatio eccleſiaſtica quæ,& minor,& maior.*
*Sacrificiis interdicere maxima pœna. eod.*
*Exſecrationum diræ atroces. eod.*
10 *Excommunicatio minor a quo, & ob quæ infligatur, & quis ſol-
uat.*
11 *Interdictum eccleſiaſticum quid, & ſpecies.*
12 *Suſpenſio eccleſiaſtica ab officiis, & beneficiis quæ.*
13 *Excommunicatus excommunicatione minori a quibus abſtine-
re debeat,& quibus ex cauſſis quis ipſo iure in eam excommu-
nicationem incidat.*
*Excommunicati eccleſia remouendi.eod.*
14 *Excommunicatis non communicandum,imminente pœna ſimi-
li excommunicationis,exceptis quibuſdam perſonis. & 15.17.*
15 *Abſtentus,excommunicatus dicitur.eod.*
16 *Hæreticum heredem inſtituens,excommunicatus eſt.*

QVinta † pœna diuina excommunicatio erit, quæ poſtea ab 1
eccleſiaſtica diſciplina vſurpata eſt. Ad cuius vim & auctori-
tatem explanandam primum admonebimus,quid ſit,& quomo-
do diuidatur. ¶Nomen † generale quippe excommunicatio,eſt- 2
que a communione depulſio ſeu ſeparatio. Proinde tot poſſunt
eſſe excommunicationis ſpecies, quot communionis ſeu com-
municationis,a quibus quis eiicitur. Eſt communicatio cũ Deo,
& cum hominibus. Rurſum ea, quæ cum hominibus,vel eſt ſo-
cietas ciuilis,ſeu eccleſiaſtica. Igitur tot excõmunicationes. Prior
ea,quæ ſeparat a Dei gratia:alia,quæ ſeparat a ſocietate ciuili:alia,
quæ a Deo,& ſocietate ciuili piorum. De prima certum eſt,vt ait
quinta ſynodus,*c.certum eſt, 24.quæſt.3.* impium eſſe omnino ſe-
paratum a Deo,quamdiu non reconciliatur. Quod & firmat D.
Hieronymus in eo, qui in peccatum mortale incidit, ob quod
recedit Deus ab eo,*D.Hieronymus in lib.Iud.& ca.audi,* 11.*quæſt.*
3. Ciuilis excommunicatio fit auctoritate hominum, & ſenten-
tia,ſicuti ſuperior a ſolo Deo. ¶Eius † generis ſunt exſilia,inter- 3
dictiones,relegationes,& deportationes,quibus cõmunio certæ
ſocietatis, ciuitatis, oppidi, regionis, regniue interdicebatur, de
quibus ſupra. ¶Sed † illa acrior, quæ erat aquæ & ignis interdi- 4
ctio: nam quibus aqua & igni interdicebatur, ſocietas omnino
hominum & cõmercium prohibebatur, ne quis eos vrbe, men-
ſa, lare, tecto reciperet, *Alexan.ab Alexand.lib.3.genial.dier.ca.5.*
non ad ſacra admitteret. Plinius *lib.6.cap.*22. ſcribit, in Taproba-
na inſula,fere extra orbem relegata, regẽ,ſi quid delinquat, mor-
te mulctari, nulla vi interueniente, ſed auerſantibus cunctis,&
commercia etiam ſermonis denegantibus. Herodotus *lib.*8. de
Ariſtodemo loquens,qui ſaluus ex trecentis Lacedæmoniis, qui
fortiter cum Leonida contra Perſas occubuerant, euaſerant:
*Nullus*, inquit, *ei ex Spartiatis ignem accendebat, nullus ei collo-
quium communicabat.* Sic Cæſares,*l.hi qui ſanctam,* 3. *de apoſt.lib.
1.C.tit.10.* voluerunt Theod. Valen.& Arcad. eos,qui a fide Chri-
ſtiana in idololatriam lapſi ſunt, a conſortio omnium hominum
ſegregari:maioremque pœnam illam exiſtimarunt, verſari inter
homines, & hominum carere ſuffragiis, quam procul abiici,&
longius amandari. Cicero *pro domo ſua. Qui erant reorum capi-
talium damnati,non prius hanc ciuitatem amittebant, quam erant
in eam recepti quo vertendi hoc eſt, mutandi ſoli cauſſa venerant.
Id autem vt eſſet faciendum, non ademtione ciuitatis, ſed tecti, & i-
gnis & aquæ interdictione faciebant.* Sic lege Draconis iuſſum,
*Demoſth. in Leptinem*, χερνίβων εἴργεσθαι τὸν ἀνδροφόνον, σπονδῶν, κρα-
τήρων, ἱερῶν, ἀγορᾶς, *homicidam arceri ab aqua luſtralis expiationi-
bus, libationibus, crateribus, ſacris, & foro.* Et vt ait Iuuenalis, *Sa-
tyr.* 4.

*—vltimus autem*
*Ærumnæ cumulus,quod nudum,& fruſtra rogantem,*
*Nemo cibo,nemo hoſpitio,tectoq; iuuabit.*

¶Appellatione † aquæ & ignis,videbãtur omnia auxilia humana 5
denegata,quod aqua & ignis, duo hominibus ſumme neceſſaria
viſa ſunt,vt explicat poſt Lactantium,*lib.2.diuin.inſtitut.* Budæus
*in l.2.de pœn.in poſter.annot.in P.* Et Scæuola *in l.Seia,67.§.1.de do-
nat.inter vir.& vx.lib.24.P.tit.*1. aqua & igne inter coniuges com-
municatis,fieri nuptias olim tradit, & inſeparabilem ſocietatem.
Et certe maximum eſſe videtur delictum, ob quod, quæ cõmu-
nia omnibus ſunt,denegantur, *Cauſſa naſcendi,* inquit Varro 4.*de
ling.Lat.& 11.de vita pop.Roma.duplex, ignis & aqua:ideo ea innu-
ptiis in limine adhibentur:quod coniungit hic, & mas ignis: quod ibi
ſemen, aqua fœmina,quod fœtus ab eius humore, & eorum iunctione
ſumit Venus.* Meminit & eius ritus Nonius, ſed addit maritum i-
tem a foco titionem accipere ex felici arbore, & cum eo aquali
aquam deferre. Proinde is, qui his priuatus eſt,extorris dictus. In-
terdicebatur autem illis duobus, quos vita priuandos notabant.
*Initium neceſſariæ rei vitæ hominum,* inquit Eccleſiaſticus *c.39.a-
qua,ignis.* Proinde libertas viuendi quoque in his duobus. Sic e-
nim ſcriptum eſt, *appoſui tibi ignem & aquam,* inquit Deus, *porri-
ge manum tuam ad quod volueris, eod.c.*16. Explicat dehinc ſtatim,
ante hominem vita & mors,bonũ & malum. Seruius in illa ver-
ba Virgilii 12. *Æneid. Qui fœdera fulmine ſancit.* Ad facienda fœ-
dera ignis & aqua adhibebantur. Vnde contra, quos arcere vole-
bant a conſortio, eis aqua & igni interdicere ſolebãt, id eſt, rebus
quibus

6 quibus conſortia copulabantur. ¶Sed † & nihil prohibere mihi
videtur dicere, ignis & aquæ interdictione, ſignificari tã impium
eſſe crimen, cui imponebatur, vt nulla expiatione remitti poſſet.
Accepimus enim illis duobus elementis creditum apud omnes
fere gentes expiari poſſe delicta, & purificari. Virgil. 2. *Æn.*

*Tu genitor cape ſacra manu, patrioſq; penates:*
*Me bello ex tanto digreſſum, & cæde recente*
*Attrectare nefas, donec me flumine viuo*
*Abluero.*

Sic marina aqua purificari omnia ait, dum agit de pœna parrici-
darum culeo inſutorum. Ingredientes & egredientes domo, vbi
mortuus erat, aqua ſe aſpergebant Græci, vt ſe purgarent, quam
ſemper eius cauſſa, tunc pro foribus habebant in vaſe, quod illis
dictum ἀρδάνιον, vt ait Suidas *in verb.* ἀρδάνιον. Dido apud Virgiliũ
ſacrificatura inferis ait, *Virg. 4. Æn.*

*Annam, cara mihi nutrix, huc ſiſte ſororem,*
*Dic corpus properet fluuiali ſpargere lympha.*

Et dum de Miſſeni ſepultura, deque aſperſione ſociorum loqui-
tur, ait,

*Idem ter ſocios pura circumtulit vnda,*
*Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ.*

Vtebantur & pro ramo lauri, aut oliuæ, aſpergillo: aquam etiam
luſtralem habebant in ingreſſu templorum, quam ſacrabant ex-
ſtinguendo in eam torrem ex altari, vbi ſacrificaſſent, *vide Lilium*
*Greg. Girald. de diis gentium, Syntag. 17. dum de ſupplicationibus a-*
*git.* Sicut & apud Hebræos aquæ lotio ad emundationem pollu-
tionis ſæpe vſurpata eſt, *vt Leuit. 16. & 25. Exod. 30. Deuter. 23. 4.*
*Reg. 5. cum ſimilib.* Vſurpant eandem Machumetiſtæ in Alcora-
no ſuo, & Moſcouitæ, aqua conſecrata, quam hauſerunt ſacerdo-
tes, & ſacrarunt in die Epiphaniæ. Vtuntur poſtea toto anno poſt
confeſſionem ad expiationem peccatorum, teſte Sigiſmundo
Barone, *lib. de reb. Moſcouitarum.* Melius nunc apud Chriſtia-
nos in baptiſmo verbis ſacramentalibus conſtituto, ex Dei virtu-
te, ex ſacroſancta paſſionis dominicæ efficacia & præcepto, eluũ-
tur omnia peccata, & mortalia, *D. Ioan. Euang. c. 3. & 19. can. filius,*
*in fine, de conſecr. diſtin. 4. c. maiores, de baptiſ. Matth. c. 28. cum ſimi-*
*lib. prædict. Ezechiel.* 47. luſtrali autem conſecrata, venialia, *ca. a-*
*quam, de conſecrat. diſtinct. 4.* ex adumbratione & prædictione le-
gis antiquæ Moſaicæ, *can. nec quenquam, ead. diſtin.* Vt & erat ba-
7 ptiſmus D. Ioannis in pœnitentiam, *Matth. 3. Mar. 1.* ¶Igne † quo-
que putaſſe expiari crimina antiquos apparet, quod cum aqua &
eum in ſacrificiis adderent, vt conſtat ex illis verſibus Virgilii,

*—Fontemque, ignemq; ferebant,*
*Velati lino, & verbena tempora vincti.*

Et Iuuenalis,

*—Cuperent luſtrari ſi qua darentur.*
*Sulphura cum tedis, aut ſi foret humida laurus.*

Virgilius purgationem omnem olim factam, aut per aquas, aut
per aerem ſic innuit, *Virg. 6. Æn.* aut per ignem animarum,

*—Aliæ panduntur inanes*
*Suſpenſæ ad ventos, aliis ſub gurgite vaſto*
*Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.*

8 ¶In † ſumma & expiationes animarum fieri igne crediderunt
Plutarchus in Solei hiſtoria, *lib. de conſolat.* & Plato, & D. Paulus 1.
*ad Corinth.* 3. Vnde ſcriptum, *Tranſiuimus per ignem & aquam, &*
*eduxiſti nos in refrigerium, Pſal. 63.* Proinde ignis & aquæ interdi-
ctio docet inexpiabile ſcelus. In locum autem iſtius pœnæ inter-
dictionis aquæ & ignis ſucceſſit deportatio. Succeſſit autem, vt
opinor, quando nullo modo commoti illa priuatione damnati,
ſolum non verterent, nec abirent ſponte, frontem fricantes, &
impudenter ſibiipſis conſulentes, & malo eſſent exemplo, *l. 2.*
*§. fi. de pœn. in P. l. 3. ad l. Iul. pecul.* Quare & quia ſponte mutare ſo-
lum, pudore nullo ſuffuſi nolebant, rectiſſime inductum, vt inui-
ti deportarentur in inſulam, & inuiti tecto, lare communioneve,
patria carerent. Sic enim deportatio a communione damnatum
eximit, vt poſt mortem eius pœna maneat, nec liceat mortuum
ex loco deportationis transferre alio, vel ſepelire inconſulto
principe, *Marc. in l. 2. de cadauer. punito. lib. 48. P. titul. 24.* ¶Alia
9 † & tertia excommunicationis ſpecies eſt eccleſiaſtica, quæ du-
plex eſt, minor & maior. Minor arcet aliquem a communione
templi, & a participatione ſacramentorum, *can. ad menſam, § eui-*
*denter, 11. quæſt. 3. c. fin. de cler. excommun. mini.* Hanc ſummopere
pœnam metuunt Vtopienſes in republica ſua ſupra alias ſacris
inquã, ſibi interdici, teſte Tho. Moro *lib. 2. Vtopiæ.* Sacerdotibus
Druidis etiam Gallias adminiſtrantibus maxima ſacrificiis inter-
dicere. *Si quis,* inquit Iulius Cæſar *lib. 6. Commentariorum, aut pu-*
*blicus aut priuatus eorum decreto non ſteterit, ſacrificiis interdicunt,*
*hæc pœna apud eos grauiſſima, quibus ita interdictum eſt, hi numero*
*impiorum ac ſceleratorum habentur, his omnes decedunt, aditum-*
*que ſermonemque defugiunt: ne quid ex contagione incommodi ca-*
*piant. Neque his petentibus ius redditur, neque honos illis commu-*
*nicatur.* Teſtatur & Æmylius Probus *in vita Alcibiad.* Eumolpi-
das ſacerdotes a populo Athenienſi coactos fuiſſe, vt Alcibia-
dem deuouerent, eiuſque deuotionis, quo teſtatior eſſet me-
moria, exemplum in pila lapidea inſciſſum, poſitum fuiſſe in pu-
blico. Idipſum & Plutarchus *in Alcibiad.* & Iuſtinus *in 5.* tradunt.
Liuius *lib. 6. decad. 3.* & eius exſecrationis morem refert. *Qui vi-*
*ctus acie exceſſiſſet,* inquit, *eum ne quis vrbe, tecto, menſa, lare reci-*
*peret: diram exſecrationem in populares obteſtationemque, quam*
*ſanctiſſimam potuerunt aduerſus hoſpites compoſuerant.* Et iterum
*in libro* 10. *decad.* 4. *huius atrocitas facinoris nouam veluti flam-*
*mam regis inuidiæ adiecit, vt vulgo ipſum liberoſque eius exſecra-*
*rentur. Quæ diræ breui ab omnibus diis exauditæ, vt ſæuiret ipſe in*
*ſuum ſanguinem effecerunt.* ¶Minor † infligi poteſt ab epiſcopo, 10
& a quolibet inferiore minore iudice eccleſiaſtico, *ca. cum ab ec-*
*cleſiarum, de offic. ordinar.* & pro contumacia, & aliis culpis. Sicut
etiam & proprius ſacerdos ſcilicet, qui habeat exomologeſes au-
diendi poteſtatem: is enim proprius eſt, *ca. præſertim, 5. q. 1. & ca.*
*audi, 5. q. 3.* poteſt ab hac excommunicatum ſoluere, *ca. duobus,*
*& c. nuper, de ſentent. excommunic.* non autem a maiori, *dict. ca. nu-*
*per, & c. ab excommunicato, de reſcript.* ¶Huc † pertinere poteſt 11
interdictum eccleſiaſticum, *de hoc interdicto eccleſiaſtico & variis*
*membris, vide arborem interdictorum, quæ in princ. lib. 8. C. ponitur*
*in commentariis,* quod certa ſpecies cenſuræ eccleſiaſticæ eſt,
quando prohibetur adminiſtratio ſacramentorum, vel celebra-
tio diuinorum officiorum, vel exſecutio ſpiritualium quorun-
dam actuum, in pœnam ob delictum. Eſtque interdictum ſeu in-
terdictio, vel locorum, aut perſonarum, dum ciuitas, clerus, po-
pulus, regnum, & ſimilia interdictione plectuntur, *de quibus in*
*c. ſi ſententia, cum cap. ſequent. de ſentent. excommunicat. in 6.* Inter-
dicti & excommunicati celebrantes, deponuntur, *c. latoris, c. 4. de*
*cleric. excommunicat. iniuſt. ca. fraternitatis, c. 6. eod.* & qui in loco
interdicto ſacra facit, *ca. poſtulaſtis, cap. 7. §. quæſiuiſtis, de cleric. ex-*
*communicat. iniuſt.* Sic duplex interdictum, reale, & perſonale. In
reali res interdicitur, locus, vel prouincia, *ca. in partibus, de verbo-*
*rum ſignificat. vide gloſſ. in pragm. ſanctio. titu. de interdict.* Idque vel
in vniuerſum, vel ſingulariter, vel in horrorem, vt ſi pollutus lo-
cus, *vt c. conſuluiſti, de conſecrat. eccleſ.* vel in honorem loci, ne ipſe
inhonoretur, *ca. final. de conſecrat. diſtinct. 2.* Interdictum inter-
dum certis perſonis fit, vel a diuinis, vel ab ingreſſu eccleſiæ, *ca. is*
*qui, de ſentent. excommunicat. in 6.* Fit & in genere, ſicuti ſi inter-
dicatur clerus, vel populus, collegium, vel vniuerſitas, in quo &
ſingulares eorum perſonæ ſunt interdictæ, *c. ſi ſententia, eod.* con-
tra vniuerſitatem vero non poteſt ferri ſententia excommunica-
tionis, ne contingat inde inſontes quoque puniri, *ca. Romana, §.*
*final. eod. in 6.* Huc etiam referenda ſuſpenſio, cenſura inquam,
qua certæ perſonæ eccleſiaſticæ, officium vel exercitium ei com-
petens interdicitur, interdum ab homine, interdum a lege, *ca. ad*
*reprimendam, de offic. ordinar. apud Gregorium, Clement. cupientes,*
*de pœn. apud Clement.* ¶Caſus † autem quibus incidit in ſuſpen- 12
ſionem iuris, colliguntur ab ſcholiaſte iuris pontificii, *gloſſ. in d.*
*Clement. cupientes.* Excommunicatus excommunicatione mino-
ri abſtinere debet a ſacroſancta dominica euchariſtia, & aliis ſa-
cramentis eccleſiaſticis: alioquin illa in ſui damnationem ali-
quando ſuſciperet, *c. final. de cohab. cleric. & mul. c. audi, 11. quæſtio-*
*ne 3.* Ipſo iure in hanc excommunicationem minorem incidere
notatur ſacrilegum, *can. miror, 18. quæſtione* 4. notorium fornica-
torem, *c. veſtra, de cohabit. cleric. & mulier.* ſimoniacum, *ca. tanta,*
*de ſimon. ca. 2. & 1. de ſimon. in extrauag. com.* a manu laici euchari-
ſtiam ſuſcipientem, *ca. ſi quis deinceps, 17. quæſtione 4.* Baliſtario-
rum in Chriſtianos artem exercentem, *c. 1. de ſagittar.* & alios, de
quibus in rubricam, & Summ. de ſententia excommunicationis
interpretes. Reducuntur autem omnes caſus ad duo capita: pri-
mum, vt hac minori cenſeatur excommunicatus, qui incidit in
peccatum mortale quodlibet, *Ang. de Clauaſ. in Sum. in verb. ex-*
*communicatio, 4. probat. d. c. illi qui, 6. q. 1.* ¶Proinde † is non debet 13
ad ſacroſanctum pabulum accedere, niſi confeſſus illud fuerit, &
fuerit abſolutione & pœnitentia Deo reconciliatus, *c. fi. de cleric.*
*excom. min.* Et ſi peccatum ſit occultum, ea excommunicatione
minori certe a Deo ſeiunctus eſt, *d. c. audi.* ſi manifeſtum, & quod



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

hanc viſibilem fidelium eccleſiam excommunicatus minori ſententia iure ipſo fit, *c. veſtra, de cohab. cler. & mul.* Et ideo ſæpe olim a ſocietate eccleſiæ, ſcilicet piorũ & a ſacris, donec pœnituiſſent, pellebantur publice peccantes. Sic D. Ambroſius Theodoſium Imperatorem, ob perpetratam in Theſſalonica ciuitate cædem, cum Mediolanum veniſſet, & ſolemniter templum ingredi voluiſſet, enarrata primum immanitate ſceleris, & quod minime deceret, vt iniuſtæ cædis ſanguine pollutus, ſanctum Dei templum ingrederetur, ab ingreſſu prohibuit, dixitque, *Recede, recede, ne altero peccato priora crimina augere contendas, ſuſcipe vinculum, quo te omnium Dominus nunc ligat, in hiſt. Trip. lib. 9. c. 30. & Theod. lib. 5. hiſt. c. 18.* Eſt enim hæc excommunicatio medicinalis, *c. 1. de ſent. excom. in 6.* qua quis reſipiſcere adigitur, *c. multi, 2. q. 1. d. c. audi, c. certum, & c. corripiantur, 24. q. 3. c. notandum, eod. can. etſi 11. q. 3.* Et ideo poſtea cum illis communicamus, dum ſe fideles eſſe futuros promiſerũt, *c. ſane, 24 q. 2.* Et excommunicatos ab eccleſia remouendos, donec pœnituerint, ſtatuit concil. Antioch. *ca.* 2. ¶Aliud
14 † caput excommunicationis minoris, qua quis ipſo iure notatur, eſt, ſi quis excommunicato maiori excommunicatione communicat, *c. præcipue, & c. ſi quis epiſcopus, & ſeq. c. ſicut apoſtoli, can. epiſcopi, c. placuit, & ca. ſi. 11. q. 3. Pan. in c. nulli, de ſen. excom. c. nuper, eo.* ſermone, oratione, ſalutatione, comeſtione, oſculo, quæ vitari debent, *c. ſi inimicus, & ſeq. 83. 6. q. 1. c. ad menſam, c. rogo, c. quatuor, cũ ſeq. can. excommunicatos, c. anteceſſorio, 11. q. 3.* Et in canonibus apoſtolorum, *in can. 10.* ſic cautum, εἴ τις ἀκοινωνήτῳ, κἂν ἐν οἴκῳ συνεύξηται, οὗτος ἀφοριζέσθω, *Si quis cum excommunicato, etiam in domo preces coniunxerit, & ille communione priuetur.* Et in ſynodo Carthag. idem ſtatutum fuit, *ca. 9.* In Braccarenſi concilio primo, *ca. 33.* qui pro hæreſi, aut pro crimine aliquo excommunicantur, nullus eis communicare pręſumat. Quæ ſi quis ſpreuit, voluntarie ſeipſum alienum a communione facit. Et concilio Toletano primo, *c. 15.* ſi quis laicus abſtinetur, ad hunc, vel ad domum eius, vel clericorum, vel religioſorum nemo accedat. Similiter & clericus ſi abſtinetur, a clericis deuitetur. Si quis cum illo colloqui vel conuiuari fuerit deprehẽſus, etiãſi ipſe abſtineatur: ſed pertineat ad eos clericos, qui eius ſunt epiſcopi, & ad omnes qui commoniti fuerint
15 de eo qui abſtinetur, ſiue laico quolibet, ſiue clerico. ¶Quo † loci abſtentus pro excommunicato accipitur, ſicut apud Cyp. *lib. 1. Epiſt. epiſt. 11.* dum ait, *Et idcirco conſulte & cum vigore feciſti, frater cariſſime, abſtinendo diaconum, qui cum virgine ſæpe manſit, ſed & ceteros, qui cum virginibus dormire conſueuerant.* Simile etiam ac in ſuperioribus conciliis ſtatutum in conc. Antioch. *c.* 2. Accedit huc fundamentum præcepti Dei, vt qui nolũt audire eccleſiam, ſint tanquam ethnici & publicani nobis, *Matth. c. 18.* cum quibus nulla erat legitima Iudæis participatio, non commercium, ſeu communicatio, *Tobiæ 1. 2. Machab. 3. c. ſicut ſatius, 18 q. 4. c. veſtra, c. ſicut de cohab. cler. & mul.* Et D. Paulus poſtquam ob fornicationem excommunicauit Corinthium, ſubiungit 1. *Corin. 5. Si is, qui frater nominatur, eſt aut fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, cum huiuſmodi nec cibum ſumere.* Et D. Ioannes 2 *epiſt. ca. 1. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam nõ adfert, nolite eum recipere in domum, nec aue ei dixeritis, quia qui dicit ei aue, communicat operibus eius malignis.* Et in ſumma qui extra nos ſunt, iure communicare nobiſcum non poſſunt, *c. illi qui illa peccata, 6. q. 1.* Eo pacto & excommunicatus eſt, qui excommunicato literas mittit, *c. vbi periculum, §. nulli etiam, de elect. in 6. & ibi Archid. & Io. And.* quia per literas loquimur, vel per nuntium, *l. & licet, de conſt. pec. in P. l. conſenſu, de act. in P.* Quamobrem colligimus, excommunicato non eſſe communicandum, ne excommunicatio in alium ſic trãſeat, *c. ſi quis laicus, c. excellẽtiſſimus, 11. q. 3. & c. ſane quod, 24 q. 2.* Et Zonaras videtur ſanctionis iſtius reddere rationem, contemtum & calumniã eius, qui ſeparauit, ſi non vitetur ſeparatus, quaſi is male ſeparauerit, *Zonar. ſuper c. 11. Apoſtol.* Sed contemtus Dei adeſt, quia non homo ſolus ligat excommunicatione, ſed Deus, *c. nemo contemnat, 11. q. 5.* qui auctoritatem ligandi & ſoluendi dedit, *Mat. c. 16.* Ideo ſiue iuſte, ſiue iniuſte lata fuerit, propter auctoritatem ligantis timenda, *c. 1. 11. q. 3. c. qui iuſtus, eo.* antequam de iniquitate appareat, *ca. ſi epiſcopus, 11. q. 3.* vt ſi quis eam contemnat, ipſo facto incurrat excommunicationem, *d. c. qui iuſtus.* Quanquam iniuſta coram Deo non liget, *ca. quomodo, 11. q. 3.* Proinde & magis licere reſpõſum eſt cum pagano communicare, quam cum excommunicato, *c. ad menſam, 11 q. 3.* Is enim gentilis cum melior fieri poſſit nondum veritatẽ amplexus, lucro eccleſiæ eſſe poteſt: at excommunicatus in communionem admiſſus, deterior fiet impœnitẽs, & idcirco commercium nobiſcum habere prohibetur, vt erubeſcat, & confuſus reſipiſcat, *ca. ſi inimicus, 93 diſt.* Quare & qui ſcit ſolus occultum eſſe excommunicatum, & is eum deuitare tenetur, *c. ſi tantum, & c. ſeq. 6. q. 2.* Et ſi manifeſte excommunicatus ingrediatur eccleſiam, reliqui, qui in ea eccleſia, ſeu ſancta baſilica ſunt, egredi potius debent, quam eum ibi pati, *c. omnis qui, 24 q. 1. & ca. ſicut Apoſtoli, 11. q. 3.* excepto ſacerdote, qui ſacram liturgiam perficit, & incepit ſacrum diuini officii canonem, *ca. nihil, 7. q. 1.* ¶Quinimo † & is excõmunicatur poſt mortem, qui hæreticum 16
conſtituit heredem, *c. ſane profertur, 24. q. 2.* Is namque excõmunicatus eſt hæreticus, *c. quod autem, 4. q. 1. c. excommunicatus, ca. ad abolendam. de hær. apud Greg.* Ideo nec viuis nec mortuis cum eis communicare oportuit, cum quibus nec viuentibus licuit, *c. ſane, 14. q. 2.* Debet etiam & iiſdem rationibus prælatus ipſe ab altero pręlato excommunicatum vitare, & iubere a ſibi ſubditis euitari, *c. curæ, 11. q. 3.* aliter deponendus eſt, *c. Theugaldum, & c. quicunq; communicauerit, 11. q. 3.* Antiqui ethnici etiam non admittebant ſceleratos & criminibus grauioribus notatos, ad ſacra, vt in Eleuſiniorum ſacrorum initiatione, impios & ſceleratos ſubmotos voce præconis cõſtat. Quare nec illis intereſſe auſum Neronem, Suetonius *in Ner.* ait. Et Iulius Capito. *in vita Antonini philoſophi,* Marcum Antonium Eleuſiniæ Cereris templum adiiſſe ſcribit, & ſacrarium, vt ſe innocentem approbaret, refert Statius Papin. *lib. 3. ſyluarum,* quædam ſcelera, ob quæ arcebantur homines a ſacris, & ait, —*Adeſte,*

*Diq; homineſq; ſacris procul hinc, procul ite nocentes.*
*Si cui corde nefas tacitum, feſſiq; ſenectus*
*Longa patris, ſi quis pulſatæ conſcius vnquam*
*Matris, & inferna rigidum tenet Æacon vrna:*
*Inſontes caſtoſq; voco.*

Scribit & Lamprid. *in Alex. Iuſſitque quemadmodum in Eleuſiniis ſacris dicitur, vt nemo ingrediatur niſi qui ſe innocentem nouerit.* Arnobius *lib. 7. aduerſ. gentes,* teſtatur gentes dum mactarent diis ſuis & adire diſponerent eorum templa, ab omni ſe labe puros, lautos, caſtiſſimoſq; præſtitiſſe. Idem & Lactantius innuit, *lib. 5. c. 20.* Et Tibullus *lib. 2. Eleg. Elegia* 1.

*Vos quoq; abeſſe procul iubeo, diſcedite ab aris,*
*Queis tulit heſterna gaudia nocte Venus.*

¶Sunt † tamẽ perſonæ aliquæ, quæ poſſunt impune perſonis excommunicatis communicare, ob neceſſitudinem & præcedentem coniunctionẽ: qualis vxor, filius, ſeruus, qui ignorat excommunicationem: & qui impellitur neceſſitate, vt cum excommunicato participet, vt mẽdicus, *c. quoniã multos, 11. q. 3. & c. excellentiſſimis, eo.* quive ea mente cum eo cõmunicat, vt corrigat, *c. anteceſſor, 11. q. 3.* In Gallia ex ſynodo Baſil. *ſeu prag. ſanct. tit. de excommunic. non vitan. & in Concord. Leo. Pap. & Franc. de excomm. non vitan.* receptum, ne teneamur euitare excommunicatos ab homine, vel a iure, ſiue ſuſpenſos, ſeu interdictos: niſi ſuſpenſio, interdictum, prohibitio, vel excommunicatio, quæ contra perſonas, vel collegium, vel vniuerſitatem, aut alium locum certum, fuerint a iudice pronuntiata, vel denũtiata ſpecialiter aut expreſſe: aut ita notorie in excommunicationis ſententiam conſtiterit eos incidiſſe, quod nulla poſſit tergiuerſatione celari, aut aliquo iuris ſuffragio excuſari.

## De maiori excommunicatione. Cap. 9.


1 *Maior excommunicatio qua.*
*Synagogæ priuatio maxima Iudæis pœna, eod.*
2 *Anathema, excommunicatio maior ſolemnis.*
*Anathema quid, eod.*
3 *Sacer homo quid, & deuotus.*
4 *Excommunicatio in locum mortis legis Moſaicæ ſubrogata.*
5 *Excommunicati ipſo iure & ab homine.*
*Excommunicationem ipſo iure quibus caſibus quis incurrit, & abſoluitur tantum a ſummo Pontifice, vel tantũ ab aliis in mortis articulo, eod.*
6 *Excommunicationis maioris caſus, quibus abſolui quis poteſt ab ordinariis.*
7 *Excommunicationis maioris mala.*
8 *Excommunicatio pro quibus cauſſis infertur ab homine, & excommunicare qui poſſint.*
9 *Excommunicatio non leuiter proferenda, & quomodo.*
*Monitio ſententiam iuſtam excommunicationis præcedere debet, eod.*
10 *Excommunicationi cauſſa inſeri debet, idem in abſolutione.*
11 *Abſolutio ad cautelam in quibus caſibus detur.*


12 Excom-

11 *Excommunicatio debet preferri ſtudio corrigendi.*
13 *Formula certa eius, & debet fieri in ſcriptis.*
14 *Excommunicatio, vel monitio num poſſit ferri nemine excepto.*

1 MAior† excõmunicatio dicitur, per quam quis ſeparatur non tantum a ſacramẽtorum participatione, ſed etiam ab omni eccleſiaſtica communione: quando extra congregationem omnino fidelium eiicitur, *c. euidenter, 11. q. 3. & fere tota q. 3. c. Engeltrudam, 3. q. 4. c. a nobis, de except. c. pen. de ſent. excom.* De hac intelligitur illud, *D. Mat. c. 18. Si non audierit eccleſiam, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus.* Horum corpus dicitur dari Sathanæ, *1. ad Cor. 5.* vt anima eorum reſipiſcat. Nam Satanæ conceduntur, qui cum eccleſia nõ ſunt fidelium. Quemadmodum & apud Iudæos, qui grauiter peccaſſent, apoſynagogi fiebant, id eſt, eiiciebantur extra ſynagogam eorum. Sic apud D. Io. Euang. *c. 9.* ſcriptum eſt, Iudæos decreuiſſe, vt ſi quis confiteretur Dominum noſtrum Ieſum eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fieret, quod maxime timebant Iudæi. Vnde & Dominus prædixit, tãquam pœnam grauem diſcipulis infligendam, quod abſque ſynagoga eos facerent, *D. Io. c. 16.* Erant Samaritani apud Hebræos huiuſmodi, quorum vitabant communionem, *D. Io. c. 4.* Eſt ſolemnis excõmunicatio exſecratio grauis, quæ anathema dicitur. *glo. in extrauag. excommunicamus, in ver. anathema, de ſent. excom. in extrauag. com. Pan. in c. cum ab eccleſiarum, de offic. & pot. iud. ordin. c. cum non ab homine, de iud.* Et proprie hæc dicitur mucro epiſcopalis, *ca. viſis 16. q. 2.* ¶ Et
2 † aliquando, cum ſit anathema ſeparatio a Deo, ponitur pro excommunicatione maiori, *c. certum eſt, 24. q. 3. c. fin. 3. q. 4.* verũ exſecratio maior in anathemate proprie vſurpata. Nam illud infligitur adſtantibus 12. presbyteris cum candelis accenſis, quas poſt prolationẽ ſententiæ exſtinguunt, abiiciuntque, & pedibus conculcãt, *c. debent, & c. cum aliquis, 21. q. 3.* Dicitur & anathema æternæ mortis damnatio. *ca. nemo epiſc. 11. q. 3.* Nã & anathematis abominatio in lege Moſaica mortem habebat, *Deut. 6. & Ioſ. c. 7.* Et D. Hieronymus *ſup. c. 9. ad Roman.* notat, anathema eſſe vltimam exſecrationem. Apud Ioſuã legitur חרם pro eo quod vertimus anathema, a radice החרים & חרם i. occidit, exterminauit, & חרם dicunt quoque interitum, rem, vnde nihil colligitur commodi. Græcis ἀνάθημα, ſeu ἀνάθεμα eſt, Deo conſecratum & dicatum: & ita a commercio & vſu hominum ſeparatum, & inde relictum Dei vindictæ ob iniquitatem. Sic enim ſcribit Iuſt. Martyr *lib. reſp. de orth. fid. q. 121.* ἀνάθημα λέγεται τὸ ἀνακείμενον καὶ ἀφορισμένον θεῷ καὶ εἰς κοινὴν χρῆσιν μηκέτι λαμβανόμενον, ἢ τὸ ἀπηλλοτριωμένον Θεοῦ διὰ κακίαν, i. *Anathema dicitur ſepoſitum & ſeparatum a Deo, & in communem vſum nunquam aſſumtum, relictum Deo propter mali-*
3 *tiam.* ¶ Sacrum † Latini dicunt hominem impium, exſecrandum, κατάρατον, κάθαρμα, vt apud Horat. *lib. 2. Serm. Sat. 6.*

*Inteſtabilis & ſacer eſto.*

Macrobius *lib. 3. Saturn. c. 7.* tradit morem antiquum fuiſſe, veteres apud ſe nullum animal diis illis ſeu idolis ſacrũ paſſos, ſed abegiſſe ad fines deorum, quibus ſacrum eſſet: animas vero ſacrorum hominum, quos Græci ζωάνας vocant, diis debitas exiſtimabant. Quemadmodum igitur quod ſacrum ad deos mitti non poterat, a ſe tamen dimittere non dubitabant: ſic animas, quas ſacras in cœlum mitti poſſe arbitrati ſunt, viduatas corpore quamprimum illo ire voluerunt. Ita hominem ſacrum dicebant, quem licebat occidere, deuotum inquam morti. Sic in Deutero. *6. Non inferes quicquam ex idolo in domum tuam ne fias anathema.* Et D. Paulus, *Optabam ipſe anathema eſſe a Chriſto, a fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem, qui ſunt Iſraelitæ, &c.* Et rurſum *1. ad Cor. 15. Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema maranatha*, id eſt, exſecratio extra communionem bonorum, vſque ad aduentum Domini, *Guill. Haſſarius in ver. Maran-*
4 *tha, 23. q. 4.* ¶ Grauiſſima † eſt pœna in iure excommunicatio, *ca. corripiantur, 24. q. 3.* potiſſimum inducta ad caſtigãdos contumaces & inobedientes prælatis, ſubrogata in locum mortis corporalis, quæ dicebatur lege Moſaica iis, qui per contumeliam refragabantur iuſſis ſacerdotis, *Deu. c. 17.* quia eccleſia nunc non infert iudicium, vel ſententiam ſanguinis, *c. in archiepiſcopatu, de raptor. c. clericis, c. 5. & c. ſententiam ſanguinis, c. 9. ne cler. vel monach. lib. 3. Decret. tit. 50.* Sicque D. Cyprianus *epiſt. 11. lib. 1.* gladium hunc ſpiritualem, quo quis extra communionem eccleſiæ eiicitur, ſubrogatum exiſtimat in locum gladii temporalis, quo occidebantur corpore homines tempore legis Moſaicę a ſacerdotibus. Deinceps & inducta, vt mali a bonorum communione priuati, bonos non inficerent, *c. reſecandæ, & c. ſequen. 24. quæſt. 2.* contagione peccati, & ipſi præ pudore erubeſcerent, & ad meliorem redirent frugem. Hac maiori excommunicatione excommunicantur quidam ipſo iure, alii ab homine. ¶ Ipſo † iure caſibus pluri- 5
bus, delicto commiſſo, incurrit quis in excõmunicationem maiorem, a qua ab alio non poteſt abſolui, quam a ſede apoſtolica, aut aliquando ab aliis, in moriendi puncto. Primus, ſi quis deliberato malitioſe, manus iniurioſas iniecerit in clericos, & eccleſiaſticas perſonas, cuiuſcunque ſint ſexus, *c. ſi quis ſuadente, ca. non dubium, c. veniens, c. ad euidentiam, c. cum illorum, c. de monialibus, c. 17. quæſt. 4. c. religioſo, de ſentent. excommunicat. in 6.* Cuius quidem regulæ verba ſunt ad amuſſim obſeruanda, cum extra illa, qui nec deliberate, aut ſine malitia clericum percuſſerit, non incidat in canonem, *c. 1. & c. cum voluntate, eod.* 2. Incidit ipſo facto in excommunicationem, qui per annum pertinaciter contemſit obedire ſententiæ iudicis delegantis, *ca. quærenti, de offic. delegat.* 3. Qui poſt monitionem prælati ſui falſis literis poſt 20. diem nõ renuntiauit, *cap. dura, de crimin. fal.* qui falſas conficiunt, ſcienterve his vtuntur, *c. ad falſariorum, eo. c. ſi epiſcopus, 50. diſtin.* 4. Communicantes ſcienter excommunicatis a ſummo pontifice, *c. ſignificauit, de ſentent. excommunicat.* 5. Incendiarii, *cap. tua nos, eodem.* 6. Effractores eccleſiarum, & ſacrilegi, *c. conqueſti, eo. c. canonica, 11. quæſt. 3. c. omnes eccleſiæ, & c. frater, eo. ca. ſi quis, 4. quæſt. 3.* 7. Qui inconſulto ſummo pontifice rectorem, ſenatorem, vel patritium in vrbe Romana eligunt, conſentiunt eligentibus, obediuntve electis, *c. fundamenta, de elect. in 6.* 8. Omnes qui perſequuntur & capiunt Cardinales, *c. felicis, de pœn. in 6.* ſocii, & fautores illorum. 9. Et ii qui eos, qui ſententiam excommunicationis tulerunt, & qui ferri curarunt, *c. quicunque, eo. in 6.* 10. Qui officium nacti inquirendi in hæreticos, dolo malo conniuent hæreſes, vel præter ius prætextu officii in inſontes animaduerterint, *clem. multorum, de hæret.* 11. Religioſi ſeu monachi, qui præter caſus ſibi a iure vel ex priuilegio conceſſos vſurpant auctoritatem conferendi ſacramenta, quæ a propriis debent exhiberi presbyteris, *clem. religioſi, de priuileg.* 12. Qui iniurioſe vel temere percuſſerit, vel expulerit, ſeu exſilio affecerit epiſcopum, *clem. 1. de pœn.* Qui & in cœna domini excommunicati declarantur. Et *13* pyratæ, *in bulla Xiſti 4. hi caſus ponuntur, & Pauli 2. Sum. Pontif. Xiſtus in extrauag. incip. Et Dominici gregis.* & eorum auxiliares. 14. Qui inuitis ſubditis noua vectigalia ſeu pedagia imponunt, *c. ſi quis Romipetas, & ſeq. 24. quæſt. 3. clem. quoniam, de immun. eccleſ.* 15. Hæretici, *c. quod autem, 4. quæſtione 1. ca. excommunicamus, de hæret.* 16. Qui arma Agarenis & infidelibus, equos, aliaque militaria vetita inferunt, *Ang. Clauaſ. in caſib. excommun. maior. caſu* 22. 17. Qui impediunt annonam deferri Romam, *idem vbi ſupra c. 23. 24.* 18. Qui per iuriſdictionem prohibitam aliquos ſpoliant, rapiuntque & iudicant. 19. Qui in inuidiam, quod quis negotium Romanæ curiæ iudicandum conceſſerit, vel quaſi inibi litiget, damnum, iniuriam ei, vel verbera intulerit, *idem caſ. 25.* 20. Qui impediunt ne literis apoſtolicis obediatur, vel ſatisfiat, *idem caſ. 26.* 21. Qui ſe a Romanæ ſedis obedientia ſubtrahunt, ſubtrahẽtibus opem, conſiliumve dant, *idem caſ. 27.* 22. Qui iuriſdictiones eccleſiaſticarum perſonarum vſurpant, *idem caſ. 28.* 23. Qui Romipetas exſpoliant, *idem caſ. 29. dict. ca. ſi quis Romipetas, 24. quæſtione 3.* 24. Qui ditionis apoſtolicæ terras, ciuitateſve vel oppida inuadunt, & vſurpant. Sunt & alii caſus apud Angelum Clauaſium, *ca. 30.* ex diplomatibus ſummorum pontificum extracti, quos apud illum videre licet.

¶ Item † alii caſus, in quibus maior quidem excommunicatio 6
incurritur: verum abſolutio etiam quibuslibet ordinariis conceditur. Vt 1. Si iudices vel principes temporales recuſant ius dicere eccleſiaſticis perſonis implorantibus, *idem Clauaſ. in Sum. in verb. excommun. 5.* 2. Qui a paucioribus, quam a duabus partibus collegii cardinaliũ electus in pontificem ſummum, ſibi poteſtatem vſurpat, *ca. adminiſtratores, 23. q. 5.* 3. Qui inuito epiſcopo in eius eccleſia miniſterium occupat, *c. licet, de elect.* 4. Qui hoſpitia ſcholaſticorum, vel doctorum Bononiæ ante lapſum temporis conductionis illorum conducunt, *c. quoniam, de offic. ordinar.* 5. Qui indebitas exactiones ab eccleſiis & earum perſonis extorquent, *ca. 1. de loc.* 6. Religioſi clauſtrum exeuntes audiendarum legum cauſſa, *c. non minus, & c. aduerſus, de immun. eccleſ.* Idemque ſtatutum in archidiaconis, decanis, præpoſitis, cantoribus, & aliis perſonatum habentibus, *ca. non magno, ne cler. vel monach.* niſi intra duos menſes reſipuerint. Sunt his alii caſus ſimiles, quos idem Angelus Clauaſius percurrit, *c. fin. eo. tit.*

¶ Colligit † & is quoque *in d. Summa, in verb. excommunicatio,* 7

7. vnum & viginti mala, quæ infert excõmunicatio, vt priuet eum communione, *Claua. in verſ. excommunicati, vlt.* ſacramentis, *ſupra diximus, c. omnis, & ſeq. 11. q. 3.* ſuffragiis eccleſiæ, *& dictum ſupra.* diuinis officiis, *ca. nihil, 11. q. 3. c. quicunque, 11. q. 3. ca. de communione, & ſeq. 24. q. 2.* regno cœlorum, *c. quod inter, de pœn. & remiſ.* fama, *c. quodcumque, 24. q. 1. d. c. nihil,* poteſtate adipiſcendi beneficia, *c. infames, 6. q. 1.* a quibus ſuſpenditur, *c. paſtoralis, de appellat. c. ſacer, de ſentent. excommun.* obſequio fidelitatis, *c. veritatis, eod. c. nos ſanctorum, & c. ſeq. 15. q. 6.* vita æterna, *c. nemo epiſcoporum, 11. q. 3.* quia & bona opera mortificat, *c. ſi quis. 24. q. 3. c. quemadmodum, 24. q. 7.* & repellit a ſepultura, *c. ſacris, de ſent. excom.* Omitto reliqua, quæ per ſingulas iuris, & criminum tractationes occurrent
8 poſtea. ¶Ab † homine excommunicantur hac ſententia pro iiſdem criminibus declarando in ſententiam excommunicationis canonis incidiſſe, vel alia ex cauſſa proferendo: idque vel ab epiſcopo, vel a prælatis aliis, vel iudicibus, qui hanc iuriſdictionem habent iure vel conſuetudine, *c. perlectis, 25. diſt. c. ſi in plebibus, 63. diſt. c. 2. de offic. archid. c. reprehenſibilis, de appella. c. cum in eccleſiis, de maior. & obed. ca. quanto, de offic. ord.* Poteſt & excommunicare iudex ordinarius, & delegatus ſpiritualis, *c. ex literis, & c. ſeq. & c.*
9 *præterea, eo.* ¶Ceterum † cum hanc excommunicationis pœnam tam grauia conſequantur, operæpretium eſt obſeruare excõmunicãtem, ne temere & leues ob cauſſas eam exſerat, ſed ob graues, *c. nemo epiſcoporum, 11. q. 3.* & deliberato, ſine impetu, & cum cauſſæ cognitione, *c. ſi epiſcopus, can. ſeruetur, eo.* monitione præcedente. *c. ſtatutum, de ſentent. excommunic. in 6. c. ſtatuimus, eo. cum ſpeciali, de appellat. cap. 1. de cohab. cleric. & mulier. ca. ſacer. de ſentent. excom.* iuxta ſententiam Euangelicam, eaque trina, *c. Deus omnipotens, §. quando autem, 2. q. 1. c. indigne, 11. q. 2.* alioquin ſine monitione lata, eſt iniuſta, & a qua excommunicatus facile vindicatur, *c. ſacer, de ſent. excommunic. interp. in d. c. ſtatuimus.* Iniuſta dicitur propter ordinem non ſeruatum, *c. ſeruetur, §. item ſententia, 11. q. 3.* Ante tamen hanc declarationem timenda, & ſeruanda, *c. qui iuſtus, & c. 1. 11. q. 3. c. ſolet. §. fin. de ſentent. excommunic. in 6.* ad exemplum noui operis nuntiationis, *cap. 1 de oper. nou. nuntiat. l. 1. & l. prætor ait, §. ait prætor, de oper. nou. nuntiat. in P. excipiuntur ibi caſus agl.* Semper enim ſententiam prælati exſequi oportet, niſi appellatione, vel alio iuris remedio impediatur, *c. cum ab eccleſiarum*
10 *prælatis, de officio ordin.* ¶Sed † & ſecundo in excommunicatione iuſte proferenda exigunt cauſſam iura, *c. 1. de ſentent. excommunic. cum ſimil. paulo ante citatis,* tanta pœna dignam, vt diximus proxime. Ideo & cauſſa inſerenda in ſententia excommunicationis, propter quam profertur, *c. 1 §. quiſquis de ſentent. excommun. in 6.* Si enim iuſta videatur, licet ea falſa ſit, ligat & vincit, timendaque, *c. ſacro, de ſentent. excommunicat. apud Gregor. ca. 1. & 2. 11. q. 1.* Sic & qui petit abſolui, debet exprimere cauſſam, propter quam fuit excommunicatus, *ca. ex parte, de offic. ord. apud Gregorium.* ¶Sunt
11 quippe cauſſæ, & caſus, ob quos excommunicatio lata nulla dicitur iure, & in quibus facili negotio, ad cautelam & cautionem, etſi nulla ſit, conceditur. 1. Si poſt appellationem legitimam feratur, *c. venerabilibus, §. porro, de ſenten. excommun. in 6. vide c. non ſolum, eod. tit. apud Gregorium, c. per tuas, eod.* 2. Si habeat intolerabilem errorem, *d. c. venerabilibus, & c. per tuas.* 3. Si declaretur excommunicatus participans non monitus, *c. 3. §. final. de ſenten. excommunic. in 6.* 4. Si a non iudice legitimo dicatur lata, *c. cum olim, de priuileg. c. 3. de conſuet.* 5. Vel a iudice excommunicato, *ca. audiuimus, 24. quæſt. 1. & c. ex parte, eod.* 6. Si delegatus contra delegantis intentionem excommunicet, *c. fin. de præbend.* 7. Vel intruſus, aut a iuriſdictione ſuſpenſus, *can. alienationes, 12. q. 2.* 8. Si a violante interdum hominis feratur, *cap. tanta, de exceſſ. prælat.* Item 9. in caſu c. cum capella, & c. quanto, de priuil. Et 10. in caſu c. cum apoſtolus, de cenſib. & c. cum ad quorundam, de exceſ. prælat. Et 11. ſi qui profert ſententiam, non intendit ligare, *c. ex parte, in 1. de offic. ordin. gloſſ. in c. p. & fi. de offic. deleg.* vel qui excommunicationem poſtulat, nolit excommunicatum ligari, *ca. bona memoriæ in 1. de poſtul. prælat.* Et ſi feratur ſub conditione, ante cuius euentum moriatur excommunicatus, *Panorm. in c. cum adhuc, de cleric. non reſid.* Sine effectu enim ſententia nulla eſt, *l. fina. de pœn.*
12 ¶Tertio, † legitima excommunicatio & iuſta exigit, vt a iudice proferatur bono zelo, & ſtudio corrigendi, *cap. 1. de ſenten. excommunicat. in 6.* Nec vindictæ propriæ animo, vel ad iniurias priuatim inimico animo vindicandas, *cap. inter querelas 23. quæſtione 4.*
13 ¶Quarto † loco debent adeſſe verborum conuenientes formulæ, quæ exprimant conſenſum iudicis de præſenti excommunicantis: ſicut & in celebrandis ſponſalibus & nuptiis conſiderantur, *c. ſi inter virum, de ſponſal. & ca. 1. de ſponſal. duor.* Poſtremo, vt feratur in ſcriptis excommunicatio, exigimus, *c. 1. §. 1. de ſenten. excommun. in 6. c. legum, 2. quæſt. 1. c. nullus, in 2. quæſt. 4. l. 1. de ſent. ex breui. recit.* vt poſſit apparere ceteris, qui excommunicati ſint, & denuntiatione ſeu proſcriptione facta vitentur, *ca. cura, 11. q. 3.* Si tamen ſine ſcriptura feratur, valebit, & ligabit vtique. Ceterum qui eam protulerit, per menſem a diuinis officiis & ingreſſu eccleſiæ ſummouetur: & ſuperior ad quem recurritur, abſoluendo condemnabit excommunicantem ad expenſas, vel alia condigna animaduerſione, *c. 1. de ſentent. excommun. in 6.* Quod & in interdicti, & ſuſpenſionis ſententiis obſeruandum eſſe placuit, *d. c.*
1. ¶Placuit † ſenatui Pariſienſi monitiones ad finem reuelationis, 14
bonorũ inter coheredes, poſſe publicari nemine demto ſeu excepto, ex ſenatuſconſulto 15. Maii 1538. *Ægid. Magiſter, in deciſ. & tract. de appellat. c. 10.* Quamuis olim ſolitum fuiſſet excipere a monitione litigantes, & cum clauſula demta parte & cõſilio, putantes æquum non eſſe exquirere probationes a domo aduerſarii, *l. qui accuſare, C. de eden.* Idipſum de teſtibus dicebant aduerſarii, ne in periurium inciderent: donec fuit conſtitutio edita, qua licet litigantibus poſtulare, vt iudex vtrinq; teſtes productos interroget ſecundum ius commune, *l. vbicunque, de interrog. act. in P.* Eaque eſt conſtitutio Franciſci primi, anni 1539. Quod etiam ad alia, quam bona hereditatis poſtea prorogatum, vt contra omnes nemine excepto ad fines reuelationis poſſint monitiones excommunicationis præuiæ obtineri. Veritas enim omnia vincit, *Eſdræ 4.* nec contradicendum veritati, *Eccleſiaſt. c. 4. D. Ioan. c. 14.* Hoc inter auguſta principum noſtrorum priuilegia annumeratur præcipuum, ex pontificum ſummorum decretis & codicillis firmatum, ne grege piorum ſummoueri poſſent, vt Benedicti 12. *c. meruit, de priuileg. in extrauag.* & Vrbani 5. conſtat: neve eorum ditio ſubiiciatur eccleſiaſtico interdicto. Quod tamen antea factitatũ fuiſſe legimus, cum tempore Philippi Auguſti totus eius dominatus interdictus fuit, *Innoc. 3. in c. 1. de poſtul. prælat. c. nouit, de offic. legat.*

## De pœna Talionis. Cap. 10.

*1 & 2 Talionis pœna quid, & leges diuinæ de ea, lexq; 12. tab.*
*3 Talio num in deſuetudinem abierit.*
*4 Improbatio legitima a monoculo.*
*Repaſſionis lex improbata, eod.*
*Rhadamantea lex repaſſionis, eod.*

Sexta pœna † a Deo, vel in legibus eius poſita, eſt talio. Talio 1
pœna eſt, qua æquali modo patitur, quo quis nocuit, Vt talio a relatione Talis ad Æquale deduci videatur, ἡ δι' ἴσων ἀμοιβή. De ea in Exodo *c. 21.* in hæc verba lex Dei tradit, *Si rixati fuerint viri, & percuſſerit quis mulierem prægnantem, & abortiuum quidem fecerit, ſed ipſa vixerit, ſubiacebit damno, quantum maritus eius expetiuerit, & arbitri iudicauerint: ſin autem mors eius fuerit ſubſecuta, reddat animam pro anima, dentem pro dente, oculum pro oculo, manum pro manu, pedem pro pede, aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore.* Et rurſum in Leuitico *c. 24. Qui irrogauerit maculam cuilibet ciuium, ſicut fecit, ſic fiet ei: fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente reſtituet.* Et in Deuteronomio 19. *c. ſex. different. ca. 23. q. 3. Non miſereberis teſtis mendacis, ſed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* Et ita ſtatutum modum vltionis fuiſſe quoque in lege diuina antiquitus, legiſlator Euangelicus, qui hanc correxit ſeueritatem, teſtatur Dominus noſter Ieſus Chriſtus, *Matth. c. 5.* Adſtipulantur & iura pontificia, *ca. hæc autem vita, 23. q. 4. c. quod debetur, 14. q. 1. cap. ſex. differentiæ, 23. q. 3.* Meminit & huius pœnæ D. Ioannes in Apocalypſi, *cap. 13. Qui in gladio occiderit, oportet eum occidi gladio: qui in captiuitatem duxerit, oportet vt in captiuitatem vadat: hic eſt patientia & fides ſanctorum.* In lege duodecim tabularum etiam talionis pœna recepta,
hac lege, *Si membrum rupit meum, e pacto talio eſto.* ¶Quod † ex- 2
plicatur apud Aulum Gellium *lib. 20. cap. 1.* apud quem Cæcilius, *Nolo,* inquit, *ignores hanc quoque talionem ad æſtimationem iudicis redigi ſolitam neceſſario. Nam ſi reus, qui depaciſci noluerat, iudici talionem imperanti non parebat, æſtimata lite, iudex hominem pecuniæ damnabat. Atque ita ſi reo, & pactio grauis, & acerba talio viſa fuerat, ſeueritas legis ad pecuniæ mulctam redibat.* Sic etiam explicat Ricardus rex Wiſigothorum legem talionis, vt vel per flagellationem, vel per pecuniam ſeu æſtimationem iniuriæ a lege vel læſo factam talio pendatur, *l. 3. de contumel. & vulner. lib. 6. C. Wiſigothor. tit. 4.* Pari modo explicat Iuſtinianus, *in §. pœna au-*
*tem*

*tem iniuriarum, de iniur.* Meminit iſtius legis & Cicero in Legibus, & D. Auguſtinus *lib.21. de ciuitate Dei, cap. 11.* Sunt & caſus iure ciuili expreſſi, in quibus ſimilitudo ſupplicii talionem inducit: vt in illis qui falſis accuſationibus innocentium vitam caluminiantur, *l. final. de accuſat. lib. 9. C. tit. 2. l. fin. de calumn. eod. lib. C. tit. 46.* & præuaricantur, *l. ab Imperatore, de præuaricat. in P.* & in
3 caſibus titul. P. *Quod quiſque iuris, &c.* ¶Hodie † tamen pœnam illam ſimilitudinis ſupplicii, conſuetudine in deſuetudinem abiiſſe, & ſecundum qualitatem & dignitatem perſonarum, & arbitrio iudicis eſſe ſtatuendum tradunt Albericus *in l. final. de accuſat. C. facit, §. pœnam, de iniur.* Felinus *in cap. inquiſitionis, nu. 9. de accuſat. apud Gregorium.* Baldus *in addit. ad Speculat. titul. de concept. libell. verſic. de conſuetu.* Speculator *tit. de accuſat. §. 1. in verſic. nec mirum,* & Bartolus *in l. libellorum, §. item ſubſcribere, de accuſat.* Nam & iura eo declinare expreſſe videntur fere in omnibus, & paucis admodum excluſis, vt periſtaſes criminis, perſonarum, & rerum, pœnas vel augeant vel minuant, vt a principio iſtius tractationis oſtendimus, *per l. Pedius, de incend. ruin. & naufra. cum ſimilib.* Imo & iure ciuili, *l. 3. ad ſenatuſconſultum Turpillian. P.* & pontificio, *c. quod debetur, 14. quæſtione 1. c. 1. & 2. de calumniator.* alia pœna, quam ſimilitudo ſupplicii, calumniatoribus impoſita
4 reperitur. ¶Apud † Thurios etiam lex Charúdæ, alia lege emendata erat, *Si quis cui oculum eruerit, oculum reo pariter eruito.* Emendata autem, quia monoculus conqueſtus, quod ſibi eruto vno oculo ſolo tantum quo videbat, vnus reo erutus, & ſic non iuſta eſſet pœna, vt auctor Diodorus Siculus *lib. 12.* Ariſtoteles quoque *5. Ethic. ad Nicomach. c. 5.* hanc repaſſionem nude, & ad literam intellectam improbat, etſi Pythagorici & Rhadamanthi iudicio, quidam contrarium probarent. Sic enim ſcribit, δοκεῖ δὲ τοῖσι καὶ τὸ ἀντιπεπονθὸς εἶναι ἁπλῶς δίκαιον, ὥσπερ οἱ Πυθαγόρειοι ἔφασαν· ὡρίζοντο γὰρ ἁπλῶς τὸ δίκαιον ἀντιπεπονθός. ἀλλὰ τὸ δ' ἀντιπεπονθὸς οὐκ ἐφαρμόττει οὔτε ἐπὶ τὸ νόμιμον, οὔτε ἐπὶ τὸ πολιτικόν. πολιτικὸν δὲ λέγω τὸ κοινωνικόν· τὸ δ' ἀντιπεπονθὸς οὐκ ἐφαρμόττει, οὔτε ἐπὶ τὸ διανεμητικὸν δίκαιον, οὔτ' ἐπὶ τὸ διορθωτικὸν δίκαιον· καίτοι βούλονταί γε τοῦτο λέγειν, καὶ τὸ ῥαδαμάνθυος δίκαιον.

εἴκε πάθοι τάκ' ἔρεξε ἰθεῖα γένοιτο.
πολλαχοῦ δὲ διαφωνεῖ, &c. Id eſt,

*Videtur nonnullis, & ipſa repaſſio eſſe iuſtum ſimpliciter, ſicuti dixerunt Pythagorici: qui quidem ſimpliciter definientes, iuſtam eſſe repaſſionem voluerunt. Veruntamen repaſſio neque ad legitimum, neque ad politicum accommodari poteſt: dico autem politicum commune. Et ita repaſſio nec accommodari poterit, ad diſtributiuum iuſtum, nec ad emendatiuum: etſi velint & hoc dici iuſtum Rhadamantheum.*

*Si quædam fecerit, hæc & patiatur ipſe.*
*Iudicium fuerit porrectum, atq; exitus æquus, &c.*

Ceterum & lex duodecim tabularum, & diuina, & Pythagorea, & Rhadamantina, repaſſionem non intelligunt, vt Ariſtoteles, ſed repaſſionem, hoc eſt, pœnam æqualem, id eſt, condignam crimini, ſecundum proportionem Geometricam, nõ Arithmeticam. Sic enim ſupplicia dicuntur æqualia peccati, ſi legitimam habent delicti & perſonarum conſideratioñe. Et id innuere Moſes videtur, *Pro menſura peccati erit & plagarum modus, Deuter. c. 25.* Sic in iure pontificio, *ca. ex literis, de conſtitut.* commenſuranda pœna delicti, vt & in iure ciuili, *l. reſpiciendum, de pœn. P. not. Bar. in l. reſcriptum, 6. de his quibus vt indig. lib. 34. P. tit. 9.* Et Horatius *lib. 1. ſerm. Satyr. 3.* —— *adſit*

*Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas,*
*Nec ſcutica dignum, horribili ſectere flagello.*

## De verberibus. Cap. II.

1 *Verberum pœna iure diuino inflicta.*
2 *Verber quid.*
3 *Verberum pœna quæ, & quatenus permiſſa iudicibus eccleſiaſticis.*
4 *Gymnopædia Spartiatarum quid.*
5 *Verberibus vt quis interimatur prohibetur damnatio.*
6 *Verberum 3 ſpecies.*
7 *Fuſtium admonitio quid.*
8 *Fuſtium ictus quando infamet.*
9 *Fuſtium ictus maior pœna, quam pecuniaria.*
*Pœna corporalis ſubrogata in locum pecuniariæ famoſæ, demit infamiam, eod.*
10 *Fuſtuarium in militia pœna grauior, quam in aliis non militaribus cauſſis.*
*Et pro quibus inflictum.*
11 *Flagellorum pœna quæ, & quibus inſtrumentis inferatur.*
12 *Ferulæ caſtigationes impuberum.*
13 *Faſces lictorum Romanorum.*
14 *Virgarum amouendarũ a latere ſeu dorſo ciuium Romanorum lex Portia.*
*Valeria lex de ciuibus Romanis, eod.*
15 *Vitibus verberati ciues Romani in militia.*
16 *Maſtiges & lora quid.*
17 *Scutica, & Scorpiones quid.*

SExta † pœna, quæ & iure diuino infligitur, verberum eſt. Sic 1
enim ſcriptum in eo, *Deuteron. 25. Iudices impium condemnabunt impietatis: ſin autem eum qui peccauit, dignum viderint plagis, proſternent, & coram ſe facient verberari. Pro menſura peccati erit & plagarum modus. Ita duntaxat, vt quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus ante oculos pereat frater tuus.* Et *Pſalm. 88. Si dereliquerint,* inquit Deus, *filii mei legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint: ſi iuſtitias meas prophanauerint, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.*

¶Verber † dicitur & inſtrumentum, quo quis cæditur, & pla- 2
ga ex eo inflicta. Eſtque veluti virga longa exilis. Quare & eo nomine continentur virga, baculus, fuſtis, lora, flagellum, ferula, arundo, & his ſimilia, *Laur. Vall. lib. 6 Eleg. c. 47.* Atque in iure omni verberatio, percuſſio, ſiue plagæ cuiuslibet inflictio, vel afflictio, verberatio dicitur, & contra. Vnde percuſſio corporalis & ſpiritualis, paſſio quædam ad caſtigationem dicitur inflicta, *c. 1. de cler. ægrot. c. cum beatus 45. diſt. nct. Prouerb. 23 ca. cum percuſſio, 7. q. 1. l. 3. §. ſi magiſter, ad leg. Aquil.* ¶Hæc † pœna verberum in foro 3
eccleſiaſtico infligitur quandoque licite, *ca. in archiepiſcopatu, de raptor. c. fraternitas, 12. q. 2. c. illi qui, iuncta gl. in ver. religioſus, 5. q. 5.* dummodo iudices caueant a duobus: primum, ne verbera ſanguinem fundant, *c. his a quibus, & ibi gl. in verb. præcipiant, 23. q. 8.* & 2: ne verbera inferantur clericis per laicos. Etenim iudices, per laicos etiam diſciplinæ cauſſa clericos iubẽtes verberari, excommunicati ſunt, *c. vniuerſitatis, de ſent. excommunic.* Nec poteſt etiam epiſcopus ſua manu delinquentem verberare, *ca. non liceat, 86. diſtinct.* Solent autem verbera iis adhiberi, de quorum emendatione ſperatur, non ſecus quam apud parentes & dominos hoc genus pœnæ ad emendationem familiare eſt, *c. circumcelliones, 23. q. 5. c. cum beatus Paulus, & ſeq. 45. diſt. c. diſplicet, 23. q. 4. Claud. l. aut facta, 16. §. cauſſa de pœn. in P. l. 1. C. de emend. propinq.* Adhibentur & in foro pœnitentiali verbera quandoque, quæ pœnitens voluntate propria exſequitur, iuxta illud D. Pauli, *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, &c. 1. ad Corinth. 9.* ¶Erat † & γυμνο- 4
παίδεια, gymnopædia feſtum apud Spartiatas, teſte Heſychio, in quo adoleſcentes aram circumſtãtes Amyclis, terga loris mutuis verberibus cædebant, vt quidam dicebant. Quod firmat Philoſt. *lib. 6. de vita Apollonii,* atq; hoc modo & Dianam Scyticam a Scytis & Spartiatis cultam putat, ex dictis Apollonii Tyanæi. ¶Pœna
† hæc verberum, ad mortem etiam iure ciuili porrigenda nõ eſt: 5
nec ea pœna quidem Vlpian. damnari aliquem oportere reſpondit, vt verberibus necetur, vel virgis interimatur, *Vlp. in l. aut damnum, 8. §. hoſtes, de pœn. in P.* Quia ad caſtigationem inducta. ¶Iuris ciuilis Romanorum etiam nomothetæ inter pœnas coerci- 6
tionis corporalis, fuſtium ponunt admonitiones, & flagellorum caſtigationes, auctore Calliſtrato, & vinculorum verberationes, *in l. veluti fuſtium, 7. eo.* Quibus verbis, verberandi tres modos exprimit. Fuſtium † admonitio forſan eſt, quod Galli dicunt, *baſto-* 7
*nades,* fuſtuarium. Et fuſtuarius erit, *donneur de baſtonades.* Vocat Cicero *3. Philip.* hanc pœnam & fuſtuarium, *Nam,* inquit, *ſi Antonius conſul, fuſtuarium meruerunt legiones, quæ eum reliquerunt.* Vocat Polybius ξυλοκοπίαν. Ictus † fuſtium per ſe non infamat, ſed 8
cauſſa, ob quam pœna hæc infligitur, ſi infamiam habet notat, *l. nullam, 14. ex quib. cau. infam. irrog. lib. 2. C. tit. 14. Marcel. l. ictus fuſtium, 22. de iis qui not. inf. lib. 3. P. tit. 3. l. in ſeruorum, 10. §. ſi de pœ. in P.* Quamobrem & per præconem, dũ infamia ſequitur, ſicut placuit Gordiano Cæſari, *l. fuſtibus, 16. & l. verbum precib. 17. ex quib. cau. infa. irrog. C.* additur cauſſa ictibus fuſtium ἐσυκοφάντησε, id eſt, calumniatus eſt. ¶Verum † tamen eſt, fuſtium ictum grauiorem 9
eſſe pœnam, quam pecuniariam damnationem, *Marc. l. in ſeruorum, 10. §. fin. de pœn. P.* Ceterum ſi corporalis hæc, vel alia pecuniaria ob inopiam damnari imponatur, non infamare placuit: licet actio ſit famoſa, *dict. l. in ſeruorum § final. & l. quod ergo, § pœna grauior, de iis qui notantur infamia. in P.* Nam grauior pœna

corporalis ſubrogata,ſupplet pecuniariæ infamiam : nam regula
eſt,vt qui maiori pœna,quam legibus conſtituta eſt, afficitur,in-
10 famis non fiat,*d.l.in ſeruorum,§.fin.* ¶In † militia,grauior videtur
pœna fuſtium , quam extra militiam:nam,vt Polybius ſcribit, *in
6.lib.Epito.Polyb.*ſupplicium apud Rom.dum quis in militia cæ-
ditur,eſt,quod tribunus accepto fuſte vix tantum attingit dam-
natum:quod vbi factum eſt,omnes qui in caſtris ſunt,cædentes
fuſtibus lapidibuſque pleroſque in ipſis caſtris conficiunt. Fuſte
autem cædebantur, qui aliquid furto ſuſtuliſſent in caſtris, qui
falſum teſtimonium dediſſent , qui flore ætatis reprehenderen-
tur,& deſertores,*eod.lib.6. Polyb.* Attalaricus Gotthorum rex e-
dicto ſtatuit,ne curialibus graues eſſent maiores poteſtates : & ſi
quis curialis ſuperimpoſito ſine auctoritate principis onerare-
tur,qui id tẽtaſſet,decem librarum mulcta damnaretur, in eum-
que ſtatuit,vt,ſi non haberet in ære, per fuſtuaria ſupplicia lace-
raretur,*Caſſiod.lib.9.variar.cap.2.* Calliſtratus *l.capitalium,28.de
pœn.*in iure abſolute tradidit,fuſtium ictui ſubiici, ad exiſtimatio-
nem,id eſt,infamiam,non capitis periculum pertinere. Nec o-
mnes fuſtibus cædi ſolere,ſed eos dumtaxat,qui liberi ſunt, dũ in
criminis infamiam habentis, vltionem fuſtigantur , vt diximus,
11 vel ſi infamiam ſententia comprehenſa eſt. ¶Flagellorum † pœna
eſt,cum quis & virgis, & flagris vel maſtige cæditur. Pœna acer-
bior forenſis,quam fuſtigatio:non alia de cauſa,vt opinor, quam
quod flagra vel flagella cuti admouentur, & nudantur corpora.
Fuſtes autem veſtitis inferantur, eruaturque ſanguis ictibus fla-
grorum,& vibices cute inciſa durius ferantur.In fuſtium percuſ-
ſione raro ſanguis funditur,*§.ſi quis aliquem,de pace tenend.libr.2.
Feudor.tit.27.* Sic & maiorem pœnam arbitratur Accurſius *in l.
veluti, de pœn.P.* flagellorum pœnam, quam ſit fuſtium: nam &
Marcellus *l.in ſeruorum,19.de pœn.P.*exiſtimauit, ex quibus cauſ-
ſis liber fuſtibus cæditur, ex iiſdem ſeruum flagellis cædendum,
& domino reddendum.Idem ſtatuit Paulus *l.Pedius,4. de incen.
ruin.& naufr.lib.47.P.tit.9.* Innuit Horatius *lib.1.Serm.ſatyr.3.*

*Adſit,*inquit,

*Regula peccatis,quæ pœnas irroget æquas:*
*Nec ſcutica dignum,horribili ſectere flagello.*

Atque vt mitior pœna poſt comminationem, eſt fuſtium caſti-
gatio:ita poſtea flagellis cæſio,*l.leuia,de accuſat.P.l.1.§.cum patro-
nus,de offic.præf.vr.lib.1.P.tit.12.l.fi.de offic.præf.vigil.eod.lib.P.tit.
20.*Innuit & Iuuenalis *Saty 6.*

*Si nocte maritus*
*Auerſus tacuit, periit libraria, ponunt*
*Coſmetæ tunicas tarde veniſſe Liburnus*
*Dicitur,& pœnas alieni pendere ſomni*
*Cogitur. Hic frangit ferulas, rubet ille flagellis,*
*Hic ſcutica.*

12 ¶Ferulæ † cutem etiam plagant , ſed leuius : vnde & impube-
rum ſunt caſtigationes,*l.1.§.impuberi,ad S C.Syllanian.lib.29.P.
tit.5.*Ferula enim vel virga leui feriebantur impuberum , imo &
diſcipulorum in ſcholis manus : vnde Martialis *libro decimo,epi-
ſtol.62.*

*Ceſſent,& idus dormiant in Octobris,*
*Æſtate pueri ſi valent, ſatis diſcunt.*

Et Iuuenalis *Satyr.1.*

*Et nos ergo manum ferulæ ſubduximus.*

Ex ferulis collectæ ſcopæ , quæ etiam lacerant carnês, & cutem.
Pœnaque illa frequens furibus crumeniſecis,*§.ſi quis quinque ſo-
lidos,de pace tenen.in vſibus Feudor.*ex Inſubrum more apud Gal-
13 los quoque recepto. ¶Erant † & faſces Romanorum , virgis be-
tulæ arboris, *Plin.lib.16.cap.18.* vel viminibus compoſiti,quibus
lictores verberabant , iuſſu eorum, quibus ſubſeruiebant, reos.
Qui emendari poterant , vt & ſecuri , quæ faſci illigabatur,eos,
14 quos corrigi non poſſe opinabantur,percutiebant. ¶Portia † lex
virgas ab omnium ciuium Romanorum corpore remouit,vt ait
Cicero *pro Rabirio,vide & de his Alex.ab Alexand.lib.3.c.20.* Li-
uius de ea ſic ſcribit, *libr.10. primæ decad. Portia tamen lex ſola pro
tergo ciuium lata videtur, quod ea graui pœna, ſi quis verberaſſet
necaſſetque ciuem Romanum ſanxit. Valeria lex cum eum , qui pro-
uocaſſet, virgis cædi ſecurique necari vetuiſſet, nihil vltra quam im-
probe factum adiecit. Id ( qui tum pudor hominum erat ) vinculum
ſatis validum legis:nunc, vix ſeruo ſuo ita minetur quiſquam.* Hæc
Liuius. Saluſtius *in orat. Cæſar.* Portiam legem a M. Portio Cato-
ne latam tradit,eamque pro ſcapulis,vt & Feſtus. Plinius *lib.7.ca.
43.*ius virgarum, & iudicum de iure virgarum dixit. Poſteaq; ſta-
tutum lege C. Sempronii Grachi, ne de capite ciuium Rom. in-
iuſſu populi iudicaretur,vt ſcribit Plut.*in vita Gracchi,*& Cice.*in
Verrem,& pro Rabirio.* ¶Verberabantur † tamen aliquãdo ciues 15
in malitia viribus:nam & Scipio Africanus, qui Numantiam ob-
ſedit,ſicubi extra ordinem milites Romanos deprehendiſſet, a-
cribus pœnis afficere ſolitus eſt,vt qui ciues vitibus, alios autem
virgis cædi iuberet, *Crinit.lib.22.c.2.* De hac vitis flagellatione ſic
loquitur Plin.*li.14.c.1.*de vitibus agens. *Quid quod inſerta caſtris,
ſummam rerum imperiumq; continent? Centurionum in manu vi-
tis, & opimo præmio tardus ordines ad lentas perducit aquilas , atq; in
delictis pœnam ipſam honorat. Nempe quod ea tantum afficerentur
ciues, alii virgis.* Et Martianus Iuriſc.*in l.milites agrum, 13.§.irreue-
rens,de re mil.li.49.P.tit.16.*de caſtigatione & rebellione militum
agens, *Si miles vitem centurionis caſtigantis tenuit, militiam mutat:
ſi ex induſtria fregit, vel manũ intulit centurioni, capite punitur.* Me
minit hiſtoria Apoſtolorum, & tempore D.Pauli legem Roma-
nis flagella remiſiſſe. *Sic enim cum tribunus iuſſiſſet ipſum flagel-
lis cædi, eum affatus eſt: ſi hominem Romanum & indemnatum licet
vobis flagellare?* Quo audito ſolutus a vinculis eſt, *Act.c.22.* Inter
flagella numerãtur & maſtiges ex reſtibus compacti, quibus im-
pelluntur equi ab aurigis, quæ excuſſa fragorem & ſonitũ edunt.
Martialis *lib.14.*

*Proficies nihil, hoc cædas licet vſque flagello,*
*Sic tibi purpureo de grege currit equus.*

Et Virgilius *5.Æneid.*

*Signum clamore paratis*
*Epitides longe dedit, inſonuitq; flagello.*

Sic intelligenda Conſtant.conſtitutio,dum ait,*l.1.de curſu pub.li.
12.C.titul.51. Equos publico curſui deputatos, non lignis nec fuſtibus,
ſed tantummodo flagellis agitari decernimus.* ¶Compinguntur † & 16
maſtiges loris,id eſt,corrigiis coriaceis. His vt plerumque captiui
& ſerui hoc modo verberari ſolebant,vt conditionis ſuæ remini-
ſcerentur,vt ait Donatus,nempe quod capti,loris vincti fuiſſent.
Et vile ducitur, loris affici & ſeruile dicimus in Gallia, *Bailler les
eſtrivieres.* Sic apud Terentium *in Adelph.*

*Nam ſi moleſtus pergis eſſe, iam intro arripiere, atq; ibi*
*Vſq; ad necem operiere loris. S. loris liber?*

Opinor Calliſtratum Iuriſconſultum hoc genus flagelli vocaſſe
vincula, dum dicit, *l.veluti,7.de pœn.* vinculorum verberationem
pœnam eſſe. Nec probare poſſum Accurſii explicationem, *in d.l.
veluti,*cum ait eſſe in vinculis, verberari fuſtibus. Plagæ eorũ du-
riores ex illis, quæ loris ſolebant, & funicularis maſtigibus addi a
tyrannis. ¶Nam † & erat ſcutica, habens in ſummitate glandes 17
plumbeas, erant & lora hamata. Vnde & ſcorpiones flagella illa
dicta, quia veluti ſcorpiones caudis lædunt, ſic in flagellorum ex-
tremitatibus, & apicibus. Sæui addebantur appendices, quib. cu-
tis miſere laniebatur. Fuit autem tormenti ſcorpionis inuentum
Cretarum, vt ait Plin.*lib.7.c.56.*

## De redargutione & reprehenſione.

## Cap. 12.

1 *Redargutio inter pœnas.*
2 *Reprehenſio publica eſſe debet palam delinquentium.*
3 *Comminationes inter pœnas.*

INter † pœnas vtriuſq; teſtamenti, eſt & verborum flagellatio, 1
nec cõtemnitur, ſed ſalubris habetur. *Peccantes,*inquit D.Paul.
*1.Tim.5.coram omnibus argue, vt ceteri timorem habeant.* Et in Le-
uit.*c.19.*lex ſtatuit, *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publi-
ce argue eum, ne habeas ſuper illo peccatum.* Et *Prouerb.24. Qui au-
diunt, laudabũtur, & ſuper eos veniet benedictio.* Et iterũ *2.ad Tim.
4. Argue, obſecra, in omni timore, & doctrina, & argue cum omni im-
perio, ad Tit.2.* Et hoc munus potiſſimum eſt eorum, qui palam
verbum Dei annuntiant, quibus annuntiare populo ſcelera eius
conuenit, *Eſaiæ 58.* Qui inſtare debent delinquẽtibus opportune
& importune, *2.ad Tim.4.* Deſæuit ira Dei in populum, cũ eccle-
ſiaſtici viri palpant, nec reprehendunt vitia, *c.ſed illud,45.diſt. De-
ceperunt,*inquit Ezech.*13.c.populum meum prophetæ, dicentes, pax,
pax, & non eſt pax: & ipſe ædificabat parietem, illi autem liniebant
luto abſq; paleis, &c. Væ qui conſuũt puluillos ſub omni cubito manus,
& faciunt ceruicalia ſub capite ad capiendas animas,* i.aſſentationi-
bus & delinimentis deceperunt peccatores, illos non reprehen-
dentes, *c.ſunt nonnulli,46.diſt.* ¶Reprehẽſio † autem hæc publica 2
debet eſſe, ſi crimen publicum, vel monitus non reſipuerit. Et ita
accuſatio publica recipitur in foro conſcientiæ, *d.ca.ſed illud, D.
Matth.c.18.* Sic D.Io.Baptiſta palam delinquentem Herodem ar-
guit, *Marc.6. Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Et Dominus

noſter

noſter Ieſus Chriſtus palam reprehendit Phariſęorum iuſtitiam, & mores, *Matt.c.23.* Hoc enim & confundit, & pudore afficit delinquentes grauius, & ad reſipiſcentiam ſtimulat, *2.ad Theſſ.3.* qui plus de huius ſeculi fama ſoliciti ſunt, quam de ſalute. Facitq; ad exemplum aliorum, vt ceteri timorem habeāt, *1.ad Tim.5.* Quod ſi peccata ſint occulta vel ſecreta, priuatim argui delinquētes debent, *c.plerunque, 2.q.7. vide c.nouit, & ibi Pan.de iud.* forſan enim hac priuata admonitione lucrabitur quis animam fratris. Com-
3 minari dicunt Iuriſconſulti pro reprehenſione, *l.1.§.cum patronus, de off.praf.vrb.* Comminationes autem iſtę etiam a iudice factæ, non infamant, *l.interlocutio praſidis, 19.ex quib.cau.infa.irrog. C.facit tit.Commi.epiſt.& c.auctor.rei iud.non hab.lib.7.C.tit.57.*

## De quibuſdam aliis pœnis diuinitus immiſſis. Cap. 13.

1 *Plaga Ægyptiaca qua.*
2 *Animalibus minutis quibuſdam illata clades & damna ciuitatibus, & oppidis.*
3 *Vis maior quid in iure, & quid contineat.*

1 SVnt aliæ pœnæ diuinæ † ſæpe in populū immiſſæ, quales plagę Exodi c.7.8.9.10.11.12. Inter eas quod putreſcunt aquæ, & piſces moriantur, *Exod.c.7.* hincq; damna & ægritudines bibentibus oriantur ex aquis inſalubribus. Et ad pœnam etiam diuinam pertinent immiſſæ præter naturæ conſuetudinem ranæ, muſcæ caninæ, quibus flagellauit Deus Ægyptum. *Exod.c.8.* Veſicæ tur-
2 gentes, grando, *eo.c.9.* locuſtæ, *eo.c.10.* ¶Quæ † quamuis per ſe, & paucæ numero non valde noceant, tamen dum referunt irā Dei, & multitudine incedunt, ſtragem magnam pariunt. Nam & Plinius teſtatur, *lib.8.capit.29.* in Hiſpania ſuffoſſum a cuniculis oppidum, a talpis in Theſſalia, a ranis in Gallia ciuitatem pulſam, & a locuſtis in Africa, a muribus incolas a Gyaro Cycladum inſula fugatos, a ſerpentibus Amyclas deletas, ab ſcorpionib. ingentem deletam regionem & deſertam factam in Æthiopia, ab ſcolopendris abactos Trerienſes, a ranis quoque inſula pulſi Attariotæ, *Diod.Sic.lib.4.c.3.* Sunt & huiuſmodi, *Nix, grando, glacies, ignis, ſpiritus procellarum, qua faciunt verbum Dei, Pſalm.10.* Et rurſum, *Pluet ſuper peccatores laqueos ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarū, pars calicis eorum, Pſ.eod. Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem, Pſ.103.* Huc terræ motus, ventorum tempeſtates, fulmina, aliaque id genus repentina velim referri: quæ etſi naturalem cauſſam habere poſſint, tamē ſæpe in vltionem & flagella impiorū, & ad bonorum probationem, & tētationem con-
3 citantur, vt ex Iobi hiſtoria *ca.1.* apparet. ¶Hæc, † vis maioris nomine a Caio Iuriſconſulto dicuntur, *l.ſi merces, 28.§.vis maior, de loca.lib.19.P.tit.2.* θεόφιν, hoc eſt, diuinitus contingentia, & quibus per hominem reſiſti nequeat: & ideo nec conductoris periculo ſint. Theophraſtus *5.de cauſ.Plant.* vocat, τὴν ἀπὸ τοῦ δαίμονος αἰτίαν, i. *cauſſam diuinitus immiſſam.* Cuius exemplū χαλαζοκοπίαν, id eſt, grandinem procellentem, ponit. Plinius quoque *lib.18.c.28.dum de ſteril.cau agit,* vim maiorem tempeſtates dixit, in quibus grandines, procellæ, & ſimilia exeuntia ab horridis ſyderibus, vt ab Acturo, Orione, Hædis. Vlpianus *l.ex conducto, 16.§.ſi vis tempeſtatis, loc.in P.* vim tempeſtatis calamitoſam dixit, ſecundum Seruium, cui reſiſti non poteſt, vtputa fluminum, graculorum, ſturnorum, & ſimilium.

## De pœna mortis in genere. Cap. 14.

1 *Mors naturalis in pœnam impoſita, & illa quotuplex.*
2 *Morimur omnes, etiamſi noluerimus.*
3 *Mors violenta vnde orta.*
4 *Mors ſpiritualis duplex.*
5 *Mortis corporalis pœna in ſpiritualem conuerſa.*
6 *Sanguinis ſententiam cur eccleſia non proferat.*
7 *Mortis ſupplicia diuerſa.*
8 *Cadauera punitorum, quare inſepulta relinquantur.*
9 *Mortis ſupplicium non niſi difficulter inferendum, non temere.*

1 ECcleſiaſticus *c.39.* dixit, ignem, † grandinem, famem, & mortem ad vindictam creata eſſe. Sed & inuenimus aliam, ſed grauiorem pœnam diuinam, mortem ſcilicet, pro peccatis hominibus impoſitam: eamque triplicem: hanc ſcilicet naturalem, qua omnes tandem aliquando plectimur. Item eam, qua adhuc acceleratur naturalis, dicta violenta. Et tertiam omnium maiorem, æternam. Dicimus & mortem corporalem, ſpiritualem, & gehennalem: corporalem, naturalem, & violentam, *in can.ſi. de pœnit.diſtinct.5.* De gehennali in pœnis reſeruatis alteri ſeculo a Deo dicemus. De aliis nunc pauca, & de morte ciuili. Itaque alia pœna diuina hominibus a Deo impoſita ob ſcelera, eſt mors iſtius vitæ naturalis. Nam in eam incidimus omnes, & ad hanc damnati ob peccatum primum hominis, qui dum voluit ſimilis eſſe altiſſimo, & credidit temere ſe Deo poſſe fieri ſimilem, mortalis factus eſt, ob contemtum diuini pręcepti, quod hanc pœnam ha-
bebat impoſitam, *Geneſ.1.& 3.* ¶Sic † ſeparatur compago homi- 2
nis, anima a corpore, *Cic.1.Tuſcula.* & omnibus hominibus conſtitutum eſt, ita ſemel mori, *ad Hebr.9. D.Paul.ca.in eccleſiaſtico, 13.quaſt.2.* A muliere factum eſt initium peccati, & per illam omnes morimur, *Eccleſiaſtici cap.25.* moritur doctus & indoctus, *Eccleſiaſtes cap.2.* rex hodie eſt, & cras morietur, *Eccleſiaſtici c.10.* Et in Adamo omnes moriuntur, *1.ad Corinth.15.* In ſumma, inquit Dauid, *Pſalm.81.* omnes ſicut homines moriemini, & ſicut vnus de principibus cadetis. Peccatū illud originale, quod mortis pœnam habuit, nobiſcum naſcitur, *Pſal.50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, &c.* Mors proinde, vt pœna peccati, naturalis nobis perpetuo imminet, & omnes morimur, quaſi aquæ dilabimur in terram, *2.Reg.14.* quæ non reuertuntur. Vtque naturale naſci, ita & quoque naturale mori. Voluit homo primus nimium edere, vetita guſtare: omnis homo, pœna reſpondente delicto, fame perit. Si enim manducare poſſet, ſpes vitæ temporalis eſſet: ſed dum organa impediuntur, qualitates & temperamenta mutantur: dum ſpiritus ſeu anima ſeiungitur, corpus hoc ſine alimento congruo in terram concidit. Sic omnes intereunt velint nolint, vt pluribus locis eximie explicat Horatius *Carm.1.*

*Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas,*
*Regumq; turres.*

Et *idem Carm.2.*

*Vnda ſcilicet omnibus,*
*Quicunq; terræ munere veſcimur,*
*Enauiganda, ſiue reges,*
*Siue inopes erimus coloni.*

Et *idem 3.Carm.*

*Mors & fugacem perſequitur virum,*
*Nec parcit imbellis iuuentæ*
*Poplitibus, timidoq; tergo.*

Statius *in 2.Syl.*

*Quicquid habent ortus, finem timet, ibimus omnes,*
*Ibimus: immenſis vrnam quatit Æacus vmbris.*

Et Sibylla *lib.1.Oracul.*

εἰ δὲ γενητὸν, ὅλως καὶ φθείρεται. id eſt,
*Si genitum eſt, indubie & interibit.*

Cicero mortem ait eſſe paratam, *Cice.4.inuect.in Catil.* & definitam, *idem pro Seſtio,* neceſſe mori, *idem 2.Tuſcul.* Et ſi hoc tempore non obieris diem, paucis poſt diebus eſſe tibi moriēdum, quia homo natus es, *idem lib.4.Famil.epiſt.* Ouidius *in epiſt.* mortem & ineuitabilem, & pariter pœnam eſſe docet paucis,

*Sed rigidum ius eſt, & ineuitabile mortis, &c.*
*Occurrunt animo pereundi mille figuræ.*
*Morſq; minus pœnæ, quam mora mortis habet.*

Et Lucanus 8.

*Mors vltima pœna eſt,* ſcilicet temporalium ſuppliciorum.

Et Propertius *lib.3.*

*Eſt mala, ſed cunctis iſta terenda via eſt.*

Et apud Euripidem *in Iphig.in Aulide act.5.verſ.336.*

ὁ θάνατος δεινὸν κακόν.
*Mors ingens & atrox malum eſt.*

Et Homerus *Odyſſ.3.*

Ἀλλ' ἤτοι θάνατον μὲν ὁμοίϊον, οὐδὲ θεοί περ
καὶ φίλῳ ἀνδρὶ δύνανται ἀλαλκέμεν, ὁππότε κεν δὴ
μοῖρ' ὀλοὴ καθέλῃσι τανηλεγέος θανάτοιο.

Id eſt,

*Verum enimuero mortem omnibus communem, neq; Dii ipſi*
*Etiam ab amato viro poterunt arcere, quandocunq; tamen*
*Fatum pernicioſum corripuerit aſperæ mortis.*

Sed hæc hactenus de pœna mortis naturalis, & neceſſitate illa fatali, ne incidamus in illa quotidiana & vulgaria quæ cognita ſunt.
¶Dicamus † de morte illa violenta, quæ non ex corruptione cor- 3
poris, ſed extrinſecus in pœnam maleficiorum imponitur a Deo in lege Moſaica. Atque nemo, qui eam legerit, dubitat, ſæpe ob grauiora facinora, quibus vix caſtigatio proficit, vel in deteſtationē criminis, vel ad exemplū, impoſitam mortē, *Exo.11.19.21.Leui.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

20.*Numer.*35.*4.Reg.*8.Et in lege Euangelica inuenimus,menda-
cium vindicatum morte Dei iudicio, *Actor.* 5. Sicut & in Apoca-
lypſi occidentibus mortis ſupplicium imponitur, *Apocal. cap.* 13.
4 ¶Spiritualis† mors duplex,vna bona,altera mala:bona mors ſpi-
ritualis eſt,quando mortui ſumus peccato, & viuimus Chriſto,
per baptiſmum & pœnitentiam, id eſt, quando non operamur
peccatum,non ſecus ac qui mortui corpore ſunt: tales dicuntur
mortui corpore, qui actiones corporis non exſequuntur. Viui-
mus autem Deo, quia Chriſtus bene operandi & ſalutis dedit
gratiam, *ad Roman.ca.* 6.*ca.vt oſtenderet, & can.ſeq. de conſecrat.
diſtinct.*4.Mala mors ſpiritualis eſt contra, quando quis per pec-
catũ mortale viuit dęmoni,& ſe ſegregat a Deo,vt ſi in peccatum
infidelitatis inciderit,ſi magnus,ſi diuinus,*c.qui ſine ſaluatore,* 26.
*q.2.can.non ſolum,*11.*q.*3.ſi hypocrita,*ca.nolo autem,*12.*q.*1. auarus,
*can.ſi quis vſuras,*14.*q.* 4.vel alterius peccati mortalis reus, *ca.in-
termittentes,* §. *dicens,de pœnit. diſt.* 4. Sic inuenimus ſcriptum, *Os
quod mentitur occidit animam ſuam, Sapien.*1.*& anima quæ pecca-*
5 *uerit ipſa morietur, Ezechiel* 18.¶Receptum † iure pontificio pœ-
nas illas legales mortis hodie intelligi de excommunicatione,*ca.
per venerabilem,& ibi Panor.qui fil.ſint legit.*Et iure eodem atque
diuino concluditur a morte culpæ ad mortem gehennæ, ſeu ad
æternam perueniri,*can.fin.de pœnit. diſtinct.* 7. Et ita explicant il-
lud, quod ſcribit Zacharias,*c.*11.*Quod moritur*(ſcilicet morte cul-
pæ)*moriatur:*(ſcilicet morte gehennæ.)*Et quod ſucciditur, ſucci-
datur.* Ac ſi dictum eſſet, qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc,*ca.*
6 *quantumlibet,*47.*diſt.Apocal.*22.¶Et † proinde hodie in foro ec-
cleſiaſtico, nulla mortis corporalis pœna inflicta eſt: & hoc eſt,
quod dicimus,eccleſiam ſanguinis iudicium non proferre, neq;
clericis in ſacris ordinibus exſiſtentibus vel prælatis licere huiuſ-
modi ſententias dictare,ſcribere, proferre,ſuadere: alioquin de-
ponuntur,vt irregulares,*c.clericus,c.*5.*& c.ſententiam ſanguinis, c.
9.ne cler.vel monach.lib.*3.*Decret.tit.*50.*c.ex literis,de exceſſ.præla.
c.in archiepiſcopatu,de rap.can.illud,*23.*quæſtio.*4. Per alios tamen
viros laicos pręlati,qui iuriſdictionem habent temporalem,poſ-
ſunt quæ ſanguinis notionem habent,decidere, *gl.in d.c.clericus,
in ver.iudicent,* quæ ipſi per ſe nequeunt. Sic enim imitantur do-
mini noſtri Ieſu Chriſti benignitatem,qui venit vocare peccato-
res ad pœnitentiam,*Matth.c.*9.*Nec deſiderat mortem peccatoris,
ſed vt magis conuertatur, & viuat, Ezech.c.*3.*Eccleſ.c.*8.*can. hi qui,*
3.*q.*4. Et admonuit hac de re diſcipulos Iacobum & Ioannem,
cum eum quidam non reciperent & dixiſſent: *Domine vis dica-
mus,vt ignis deſcendat de cœlo, & conſumat eos.* Increpauitque il-
los dicens, *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis, filius hominis non venit ani-
mas perdere, ſed ſaluare, Lucæ c.*10.*ver.*54.*& Ioan.*3.*verſ.*17. *& c.*12.
*verſ.*47.Facto quoque comprobauit, dum adulteram ſecundum
legem antiquam lapidandam, noluit condemnare, ſed abſoluit
dicens, *Vade, & noli amplius peccare, D.Ioan.Euan. c.*8. Et D.Pau-
lus dixit,noui teſtamenti mediatorem Ieſum Chriſtum per ſan-
guinis aſperſionem melius clamantem,quam clamauerit ſanguis
Abelis,*ad Hebr.c.*12.cuius vox fratris homicidæ vindictam a Deo
poſtulabat, *Geneſ.c.*4.Atque ideo eccleſia,quæ incorrigibiles ha-
bet clericos,nõ occidit,ſed vel carcere perpetuo afficit, *c. quam-
uis,de pœnis. in* 6.vel de gradu deiectos curiæ ſeculari relinquit
puniendos:erga quam etiam intercedit,ne morte plectantur,ſed
alia leuiori,*ca.nominis,de verbor.ſignif.ca.*1.23.*quæſt.* 5.¶Ceterum
7 mors corporis quidem vna eſt,tamen ad mortem peruenitur di-
uerſis viis:vnde mortis ſupplicium varium eſt,& in iure diuino &
politico ſeu ciuili. Et idcirco de pœnis,quæ mortẽ adferunt pau-
lo latius dicendum,ne redeundum ſit ad eandem materię tracta-
tionem ſæpius poſtea.Et ita iuris gentium & ciuilis pœnas mor-
tis,pœnis mortis quæ in iure diuino inueniuntur annectemus.
Calliſtratus itaque Iuriſconſultus *in l.capitalium,* 28. *de pœn. in P.*
gradus capitalium pœnarum conſtituens, refert viui concrema-
tionem,capitis amputationem, & ad furcam damnationẽ. Mar-
cellus addit,*l.reſpiciendum,*11.§ *fin.eodem tit.* beſtiis obiici. ¶Sunt
8 † mortis pœnæ pro grauiſſimis criminibus impoſitæ, aliquando
quibuſdam prouinciis & gentibus inuiſæ, vt dictum, dum agere-
mus,de exſilio: poſtea autem creſcente malitia & contemtu le-
gum,oportuit ad eas ſe transferre. Satis tũc erat viſum vinculum
validum legis ſimpliciter prohibentis, pudor qui tunc erat ho-
minum:hodie, nequaquam, vt ait Liuius *lib.*10.*primi ab vrbe con-
dita.* Quibus & id etiam aliquando additum eſt, imo communi
iuris obſeruantia receptum,ad pœnam exacerbandam, & in ex-
emplum aliorum,ne corpora ſeu cadauera punitorum ſepelian-
tur,niſi expreſſe petitũ ſit a principe,vel ab iis qui eius imperium
exercent: qui potentibus tamen facile concedunt, interdum in
pœnis exemplaribus negant,vt in crimine læſæ maieſtatis, *l.*1.2.3.
*de cadau.punit.lib.*48.*P.tit.*24.*l.obnoxios,* 11. *de relig.& ſumt.funer.
lib.*3.*C.tit.*43.Exemplumque patet in ſacra pagina de Ioſepho,qui
petiit & obtinuit a Pilato corpus Ieſu, vt ſepeliret, *D.Io. Euang.c.*
19.¶Ad† mortis pœnam inferendam, quoad fieri poteſt,ideo tar- 9
diores eſſe debent iudices,& niſi neceſſitas vel atrocitas coactos
impellat cum lege, vix accedere debent: nõ ſecus ac Nero ab ini-
tio,qui Buro præfecto exigenti ab eo,in quos, & ex qua cauſſa a-
nimaduerti vellet,differebat:& dum illi chartam protuliſſet, tra-
deretque inuitus inuito,exclamauit,velle neſcirem literas, *Sene-
ca in prin.lib.*2.*de Clem.* Veſpaſianus Imperator neq; cæde vnquã
lætatus,iuſtis ſuppliciis illacrymans etiam ingemuit, *Suet.in Veſp.
c.*15.Quamobrem & iure ciuili non conceditur etiam præſidibus
permittere liberam mortis electionem, *Vlpia.l.aut damnum,*8.§.
*proinde,de pœn.in P.*D.Ambroſius reconcilians Theodoſiũ Cæ-
ſarem eccleſiæ,pœnitẽtiam eum agere coegit de Theſſalonicen-
ſium præcipiti nece,atque eum ſanctionem edere, de non ſtatim
puniẽdis,quos ipſe iuſſiſſet,niſi poſt 30.dies,quibus cuſtodiæ tra-
derentur, *Nicephor.Caliſt.lib.*12.*hiſtor.c.*40.*Theodoret.lib.*9.*hiſto.
Tripar.cap.*30.Exſtat & hodie eius conſtitutio, *in l.ſi vindicari,*20.
*de pœn. C.*

## De combuſtionis pœna. Cap. 15.

1 *Igne combuſti vindicta diuina.*
2 *Comburantur quibus ſceleribus iure ciuili delinquentes.*
3 *Concremandi maleficos varii modi.*
4 *Fumo necati, & puniti.*

DEus ſæpe vindicauit † ſcelera igne de cœlo miſſo, vt quando 1
ſeptem ciuitates Sodomiticas conſumſit, *Geneſ.*19. quando
inferentes extraneum ignem in ſanctuarium ſacerdotes Nadab
& Aniu combuſſit, *Leuit.c.*10.Et dum ad preces Heliæ quinqua-
genarii duo regis Ochoſiæ, igne cœleſti deuorati ſunt, *4.Reg.*1.
Exuſtionis & pœna in iure diuino ſcripto ſtatuta eſt contra ple-
raque delicta, contra viduas ſcortantes, *Geneſ.*18. contra anathe-
matis participes, *Ioſ.*7.in eum qui filiam vel matrem vxorem du-
xerit, *Leuit.*20.in filiam ſacerdotis in ſtupro deprehenſam, *Leuit.*
21.¶Iure † ciuili comburuntur,1.viui ſacrilegi, *l.ſacrilegii pœnam,* 2
*ad l.Iul.de pecu.in P.*2.Iudæus Iudæum ad fidem ſe conuertentem
perſequens, *l.*2.*C.de Iud.*3.Seruus dominæ concũbens, *l.*1.*de mu-
lier.quæ ſe prop.ſer.miſcen.C.*4.Seruus raptũ mulieris committens,
vel rapientium ſocius auxiliaris, *l.vn.*§.*pen.de rap.C.* 5.Falſum im-
munitatis inſtrumentum conſcribens, *l.*1.*de immun.nem.conced.
lib.*10.*C.*6.Qui adulteram monetam principis cuderit, *l.ſi.de falſ.
mon.& l.*2.*eo.C.* 7.Haruſpex ſeu diuinus, *l.*3.*de malef.& mathe.C.*
& libri eorum, *l.mathematicos, C.de epiſ.aud.*8.Aggeres Nili rum-
pens,aut eius ripas,vel aquas vltra cõſtitutum terminum & mo-
dum vſurpans, *l.vnic.de Nili aggerib.non rumpend.*9.Qui hoſtibus
prædandi viam aperuit,vel cum illis prædam diuiſit, *l.ſi quis a bar-
baris,*§.*ſi.de re mil.lib.*12.*C.*10.Incendiarius qui ædes, aceruumve
frumenti iuxta ædes poſitum incenderit doloſe, *l.qui ædes,de inc.
ruin.& nauf.in P.* 11.Transfugæ,& qui hoſtibus detegunt conſi-
lia principis, *l.aut damnum,*§.*hoſtes, & l.ſi quis aliquid ex metallo,*§.
1.*de pœn.in P.* 12. Seruus ſaluti domini inſidiatus, nonnunquam
liberi & humiles perſonæ, *l.capitalium,*§.*igni cremantur, de pœn.
in P.*13.Actor rerum priuatarum vel procurator Cęſaris,ſi quem
hoc prætextu iniuria affecerit, *l.vniuerſi,vbi cauſſæ fiſca.lib.*3.*C.tit.*
26.14.Hæretici docentes alios, ſeu vt dicimus dogmatizantes, &
eorum libri, *l.quicunq;,*8.§.*vlt.etiam ſupplicio, & § ſeq.de hæret. C.l.
damnato,*6.*eod.* ¶Necabantur † & igne variis modis homines, vt 3
dum in ollis æreis ſartagine ſuccẽſis nudi, vel excoriati torreban-
tur,vt martyribus legitur in Machabæis, 2. *Machab.*7. contigiſſe.
Et Tholoſæ adulterantes monetã, lebetibus & cacabis oleo bul-
liente plenis iniiciuntur. Peryllus vaccam ex ære cõſtruxit, quam
ad concremandos in ea hoſpites Phalaridi tyranno donauit, qui
in eam primum merito tantæ crudelitatis cõiecit artificem, *Plut.
in Paralell.c.*34.*Plin.lib.*34.*c.* 8.

*Et Phalaris tauro violentus membra Perylli*
*Torruit, infelix imbuit auctor opus.* Ouidius 1. de arte A-
mand.

In fornacem etiam comburẽdi apud aliquas nationes mitteban-
tur rei, vt apud Danielem 3.*c.* legimus, ¶Genus † crudele combu- 4
ſtionis inuentum ab Auidio Caſſio, vt a Vulcatio ſcriptum eſt ad
Auguſtum Diocletianum: is enim trabem ſeu ſtipitem cẽtua-
ginta

ginta aut centum pedum, e materia curabat deligi, tum a ſummo
vſque ad infimas partes noxios alligabat, eoſq; in altum erectos,
incendi atque concremari volebat. Sic vt multos incendio, alios
fumi cruciatu necaret, *Crinit. lib. 18. de honeſt. diſcip. cap. 11.* Alexan-
derque Seuerus Imperator fumo eos necari iubebat, qui fucum
facerent, & in amicorum cauſſis atq; officiis fumum venderent.

## De capitis, & aliorum membrorum amputatione. Cap. 16.

1 *Capitis amputatio pœna eſt, & membrorum amputatio præcedit interdum capitis amputationem.*
2 *Securi percuſſio, vt fiebat.*
3 *Capite qui plectuntur.*
4 *Capitalis truncatio quare mortalis.*
5 *Membra quæ debent in pœnam abſcindi.*
6 *Manus quibus in pœnam amputanda eſt.*
*Chriſma ad iudicium peruertendum datum, punitum eodem.*
7 *Oculorum erutio in quibus criminibus.*
8 *Oris obturatio fiebat ductis ad ſupplicium, & illis tria verba tantum loqui licebat.*
9 *Pedum amputatio quibus in pœnam, & aurium amputatio pro quibus.*
10 *Narium amputatio pro quibus.*
11 *Crurium fractio in pœnam.*

1 ALia pœna mortis, † communis in iure diuino & humano est
capitis amputatio. Mors quidem cita, quam interdum alio-
rum membrorum amputatio præcedit, vt durior ſit. Fuit huius
exemplum in ſupplicio illius idoli Dagon. In cuius templũ cum
Philiſtini arcam Dei a populo Dei ereptam depoſuiſſent, inuen-
tus eſt Dagon iacens ſuper faciem ſuam in terra, abſciſſis capite,
& duabus palmis, manu ſuper limen, *1. Reg. 5. c. Ioſeph. lib. 6. Anti-
quit. Iudaicar. cap. 1.* Vſitatamque pœnam hanc fuiſſe in Iſraeliti-
ca politia conſtat ex Bibliorum ſacrorum lectione, *4. Reg. 6. Mat-
thæi 14. Marci 6.* Et ſi crimen tam impium eſſet, quod pœna ex-
emplaris eſſe deberet, cum capitis trũcatione alia membra quo-
que concidebantur, vel mortuis vel viuis reis. Sic Iudas Macha-
bæus princeps Iudæorum victoria potitus ope Dei, aduerſus bla-
ſphemum Nicanorẽ, præcepit caput Nicanoris, & eius manum
cum humero abſcindi, & Hieroſolymam deferri, vbi ſuſpendit
caput in ſumma arce, & linguam blaſphemam eius præciſam iuſ-
ſit particulatim auibus dari, manum autem contra templum ſuſ-
pendi, *2. Machab. cap. 15.* Iure ciuili capitis ademtio etiam pœna
2 frequens, *l. capitalium, de pœn. in P.* ¶ Nam † & antiquitus ſecuris
imperii ſummi poteſtatiſve in vitam facinoroſorum inſigne erat;
diciturque gladii poteſtas, *l. imperium, de iuriſd. omn. iud. in P.* Ci-
cero *3. act. in Verrem, Agunt eum præcipitem pœnæ Romanorum,
quos partim ſecuri percuſſit, partim in vinculis necauit.* Liuius, *lib. 3.
decad. 1.* decemuiros cum faſcibus duodenis ſubito prodiiſſe tra-
dit, & centum viginti lictores forum impleuiſſe; & cum faſcibus
ſecures illigatas protuliſſe, nec attinuiſſe demi ſecurim, cum ſine
3 prouocatione creati eſſent. ¶ Capite † punitur explorationem in
militia fraudans, foſſam inſtantibus hoſtibus relinquens, *l. 3. §. is
qui exploratorem, de re milit. in P. lib. 49. titu. 16.* transfuga, *d. l. 3. § is
qui ad hoſtes,* ſeditionem militum excitans atrocem. Eſt & in aliis
diſciplinæ militaris pœnis frequens pœna, *d. l. 3. per totum.* ¶ Am-
4 putatio † membrorum capitalem pœnam habet, vt præcipuæ
partis & nobilioris hominis, *l. cum in diuerſis, de relig. & ſumt. fun.
in P.* capitis ſcilicet. Eaque ſemper lethalis & mortis eſt, propter
neruorum paria, & iugationes, quæ ex capite in corpus hominis
vniuerſum diffunduntur, & propter ſedem animæ præcipuam,
quæ in eo eſt. Sunt & aliæ membrorum deciſiones in pœnam et-
iam impoſitę, & iure diuino & humano. Cum enim talio recepta
vtroque eſſet, vt antea probauimus, dentem pro dẽte, & manum
pro manu, & pedem pro pede abſcindi conſequens fuit. ¶ Item,
5 † quia in eo quo quis deliquit, & per ea quæ peccauit torquẽdus
eſt: pœna membris, vt delicti potioribus inſtrumentis impoſita
eſt. Sic manus Ieroboamo, quam extenderat iubendo virum &
prophetam Dei capi, exaruit Dei vindicta: donec oratione pro-
phetæ ſanitati reſtituta, *3. Reg. c. 13.* Manus Nicanori, qua bellaue-
rat iniuſte in Iudęos, amputata: & lingua, qua blaſphemias in Deũ
protulerat, conſciſſa volatilibus cœli expoſita, *2. Machab. c. 15.* Za-
charias, qui lingua dubitare ſe oſtenderat de pollicitis a Deo, lin-
gua obmutuit in præfinitum vſque natiuitatis D. Ioannis Bapti-
6 ſtæ tempus, *Lucæ c. 1.* ¶ Exſtat † lex in Deuteronomio *cap. 25. ſi ha-
buerint inter ſe iurgium viri duo, & vnus contra alium iurgari cœ-
perit, volenſq; vxor eruere virum ſuũ de manu fortioris, miſerit ma-
num & apprehenderit verenda eius, abſcindes manum illius, nec fle-
cteris ſuper eam vlla miſericordia.* Apud Ethnicos Sergius Galba,
*Sueton. Tranquil. in Galba, c. 5.* Imperator, numulario, non ex fide
pecunias tractanti, manus amputauit, menſæque eius affixit. Sta-
tutum & iure Inſubrum, vt qui contra pacis tranquillum ſtatum
aliquem vulnerauerit, manus ei amputetur, *§. ſi quis alium, de pac.
tenen. & eius violat. lib. 2. Feud. tit. 27.* Sicut & ſcribæ, qui contra-
ctum falſum ſcripſerit feudi, ſeu prædii clientelarii, *§. callidis, de
prohib. feu. alien. per Feder. lib. 2. Feud. tit. 55.* Et exactori, qui per fide
ea quæ ex tributis exegerit, non ſcripſerit, vel omnino, vel clare
non deſcripſerit, *§. coges, de mand. princ. in Auth. collat. 3. titu. 4.* Et
in ſumma nouo iure, ſi criminis qualitas exigat membri alicuius
abſciſſionem alterius, quam manus: manus pro eo abſcinditur, *§.
fin. incip. quia vero nos oportet, vt nul. iud. lic. hab. loc. in Auth. & auth.
ſed nouo iure, de ſer. fugit. C. l. ſi fugitiui, eod.* Et maior pœna pedis,
quam manus amputatio: vt maior amputatio pedis, quam effoſ-
ſio oculi, ſecundum Baldum, *l. binas ædes, de ſeruit. vrb. prædior.* A-
pud Longobardos, manum amittit tabellio inſtrumentum con-
ſcribens venditionis factæ per mulierem conſentiente viro, *l. 2.
qual. mulier. permiſſ. eſt alienat. in legib. Longob.* peritus, *l. 2 de teſtib.
& l. 2. & 3. de periur. in d. l. Longobard. 2. de iis qui ad prælat. &c. eod.*
presbyter qui ſanctum chriſma ad iudicium peruertendum de-
dit, *l. 1. de eo qui ſanctum chriſma, &c. eod.* ſine iuſſu principis cu-
dens, vel fingens monetam, *l. 1. de falſ. monet.* ſeruus, qui ſine iuſſu
domini celaturam ſeu ſemaidam, id eſt, noua ſigna, in ſylua alte-
rius fecerit, *l. ſi quis propter, & l. ſeq. de iis qui ter. corruper.* ¶ Oculo-
rum † fuit erutio aliquibus quoque in pœnam, ſic vnus oculus 7
pro primo furto eruebatur apud Longobardos, *l. ſi quis latro, de
latro. in d. ll. Long.* Et Wiſigothorum lex ſtatuit oculorum erutio-
nem, patri, vel matri, qui abortu necem geſtati vteri procuraue-
rit, *l. fin. de excutient. homin. part. lib. 6. C. Wiſigot. tit. 3.* Locrenſium
lege lata a Zaleuco, adulter vtroque oculo priuari debebat, *Va-
ler. Max. lib. 5 c. 6.* Vitiſa Ægytæ filius rex Gothorum & Hiſpa-
niarum anno 698. Theodofredum, quem Eringius regno exe-
gerat, confoſſis oculis Cordubam relegauit. At Theodofredi fi-
lius Rodericus exercitu cõgregato, Vitiſam regno mouit, & Cor-
dubam identidem oculis confoſſis anno regni ſui nono ablega-
uit, *Franc. Taraf. lib. de regib. Hiſpan. in Vitiſa.* De crudelitate Syl-
læ loquens D. Auguſtinus *de ciuitate Dei ca. 28.* ſcribit, iuſſu eius,
aliquos oculis effoſſis & particulatim membris amputatis, in
tantis cruciatibus diu vixiſſe, vel potius diu mori coactos eſſe. ¶ In
† pœnam etiam maiorem ad vltimum ſupplicium raptis & du- 8
ctis ora obturabantur, *collige ex hiſtor. Eſter c. 7.* Et vt Suidas ait,
iis qui ad ſupplicium ducebantur, licebat potu & cibo plenis, tria
dicere quæ vellent, deinde ore obturato ad necem adduceban-
tur. Vnde prouerbium, εἴποις τὰ τρία τῇ αὐλῇ, id eſt, *illa tria dicas
iuxta aulam,* id eſt, in prætorio. ¶ Pedis † amputatio pœna in iure 9
ſeruis transfugientibus ad barbaros fuit impoſita, *l. 3. de ſer. fugi.
C.* Octingenti Gręci captiui a Perſarum regibus turpiter mulcta-
ti corpore fuerunt, quibus quidem aliis manus, aliis pedes, qui-
buſdam nares, & aures exſciſſæ. Si qui autem ſcientia, arte, aut di-
ſciplina aliqua excellerent, iis membrorum omnium, exceptis
quibus ad exercendas ſuas artes vterentur, extremitates ampu-
tatæ fuerunt, qui ſubactis Perſis ab Alexandro Magno in ea mi-
ſeria inuenti, immunitate donati ſunt, *Diod. Sic. in anno 6. Alex.
lib. 17. Bibliop.* ¶ Nares † furibus amputantur in Longobardia, *l. de* 10
*latronibus, & l. ſi quis latro, de furt. in ll. Longob.* & pariter conſpi-
rantibus in patriam eandem, *l. de conſpiratoribus, de aggreſſ. in vico
factis, in d. ll. Long.* ¶ Crurium fractio, ſeu vt ait Apuleius, *lib. 9. A-* 11
*ſini Aurei.* crurifragium, inter ſupplicia inuentum: nam & latro-
nibus ſuſpenſis D. Ioannes Euang. *c. 19.* crura facta ſcribit, vt ſcili-
cet citius morerẽtur. Octauius Auguſtus, Thrallo a manu, quod
pro epiſtola prodita denarios quingentos accepiſſet, crura effre-
git, vt ſcribit Suetonius Tranquil. *in Octa. c. 67.* Scribit Q. Cicero,
*in paræneſi ad M. fratrem,* M. Mario Gratidiano iuſſu Syllæ primũ
brachia & crura fracta, aures deinde præſectas, & linguam, & na-
ſum, oculos defoſſos, & poſtea caput detruncatũ. Meminit Am-
mianus Marcellinus *lib. 14. hiſtor.* Apollinares duos, patrem & fi-
lium, ſub Gallo Cæſare in exſilium actos, ad locum, qui Crateras
nomine, villam videlicet ſuam, quæ ab Antiochia viceſimo-
quarto diſiungitur lapide, vt mandatum erat
fractis cruribus occiſos.

## De ſuſpenſione, & crucifixione.

### Cap. 17.

1 *Crucis ſeu ſuſpenſionis pœna quæ.*
2 *Suſpendi ob quæ maleficia quis debeat.* & 1.
3 *Crucis ſupplicium grauiſſimum.* & *nu.* 1. & *cruce qui ſuſpenderetur apud Romanos,* & *pro quibus.*
4 *Crux ſuppliciis quando prohibita.*

1 SCriptum eſt, *Sapien.*14.† *Benedictum lignum, per quod fit iuſtitia,* ratione ſcilicet iuſtæ vindictæ: verum ratione eius, qui ligno ſuſpenditur ob maleficia, dictum eſt in Deuteronomio *cap.* 21. *Maledictus a Deo eſt, qui pendet in ligno.* Eiuſque mors turpiſſima habita. Et proinde de domino noſtro Ieſu Chriſto, qui pro redemtione ſalutis mundi pependit in cruce, *Matth.* 23.26.27. *Mar.*25. *Luca* 23. *Actor.* 2. & 4. *D. Ioan. Euan. c.*19. *Heb.*6. prædictum erat, futurum improborum iudicum hunc ſermonẽ, morte turpiſſima condemnemus eum, *Sap.*2. Seruile enim, & crudele habitum eſt ſupplicium crucis, *Lactan. lib.*4. *ca.* 26. A cruciatu, crux, *c. nulli,* 3. *q.* 1. vel a cruce, cruciatus melius. Hac pœna affecit Ioſue principes idololatrarum, *Ioſue c.*8. & *c.*19. Et Dauid ſeptem natos ex genere Saulis, qui occiderant Gabaonitas contra fœdus, ad placandum Dominum, 2. *Reg. c.* 21. Clauis ſuffigebantur cruci corpora, indicat. Et illud Plautus *in Moſtellaria,*

*Ego dabo ei talentum primus, qui in crucem excurrerit.*
*Sed ea lege vt affigantur bis pedes, bis brachia.*

Meminit Plinius *lib.*28. *c.*4. *de clauo crucis. Item in quartanis,* inquit, *fragmentum claui a cruce, inuolutum lana collo ſubnectunt.* Mos erat aliquando ſuſpenſorum in cruce frangi crura, vt mors acceleraretur eorum, *D. Ioannes Euang. c.*10. vt non dubitem, diram imprecationem mulieris adulterę, in virum citius, quam exſpectaret redeuntem, apud Apuleium, *lib.*9. *Aſini aurei,* eo pertinere, dum crurifragium illi ominatur. Vſi hac pœna Ægyptii ſuſpenſionis in cruce, *Geneſ.*40. & 41. & Perſæ, & Medi, *Heſter* 5.8. & 9 & 1. *Eſdræ cap.*6. Punitus proditor Iudas a ſeipſo ſuſpendio, quo crepuit medius, *Matth.*27. *Act.*1. A Carthaginenſiũ ſenatu in crucem tolli Imperatores ſolebant, ſi prauo cõſilio rem peragerent, quamuis feliciter, vt ſcribit Liuius, *lib.*8. *decad.*4. Idipſum &
2 Valer. Maximus *lib.*2. *c.*2. recenſet. ¶ Apud † Iuriſconſultum, ſummum ſupplicium ad furcas dicitur damnatio, *l. capitalium, de pœn. in P.* Quo pœnæ genere puniuntur famoſi latrones, *d. l. capitalium,* §. *famoſos.* Et Inſubrum iure antiquo, qui plus quam quinque ſolidos furantur, § *ſi quis quinque ſolidos, de pace ten.* & *eius violat.* Grauis nimium tamen pœna & crudelis protum modico ære viſa eſt. Et proinde Paris de Puteo *in tract ſyndicatus, in* §. *crudelitas,* ait, quod Federici, qui eam edidit conſtitutionem, proles non regnauit quia ita ſtatuiſſet. Vt & in Lõgobardorum legibus, ſeruus regis, qui aliquem occiderit, ſupra tumulum occiſi furca ſuſpenditur, *l.* 1. *de culp. ſeruor. l. ſi ſeruus regis, de homicid. liber. hom. in leg. Longobard.* Ciuili Romanorum iure quoque furca ſuſpendi debent transfugæ & conſilia hoſtibus detegentes, ſeditionis auctores, *l. ſi quis aliquid,* 38. §. 1. & *ſeq. de pœn. in P. l.* 3. §. *is qui ad hoſtes, de re milit. lib.*49. *P. tit.*16. ſacrilegi aliquando, *l. ſacrilegi,* 6. §. 1. *ad leg. Iul. pecul.* Refert Dionyſius Halicarn. *in* 5. a quibuſdam eſſe proditum, inſtitutum in creatione prima conſulum, vt alterum illorum duodecim ſecures præcederent: alterum duodecim lictores cum ſolis faſcibus, atque etiam cum furcis: ſecures ſingulis men-
3 ſibus collegæ ſibi traderent. ¶ Romani † ante aduentum domini noſtri Ieſu Chriſti, & ante eius fidem agnitam, crucis patibulo vſi ſunt pro ſummo & horribili ſupplicio, vt meminit Iuuenalis, *Satyr.*13. dum ait,

*——multi*
*Committunt eadem diuerſo crimina fato,*
*Ille crucem pretium ſceleris tulit, hic diadema.*

Ideo pro ſingulari exemplo canis in crucem ſublatus, quo tempore Galli vrbem inuaſerunt, quod in Capitolio canes nutriti in aduentu hoſtium non latraſſent: clangore autem ſuo anſeres venientes detexiſſent, auctore Plutarcho, *de fortit. Roman.* & *virt. Alexand.* C. Soſſius præfectus Ciliciæ, & Syriæ a M. Antonio, ſub Octauio Cæſare, Herodi Iudæorum regno cõceſſo, Antigonum cruci alligatum, quo ſupplicio nullus vnquam rex erat affectus, flagris cæcidit, ac deinde iugulauit. Ciuem Romanum crucifigi, erat contra omnes leges. Scipio tamen Superior deuicta Carthagine, ciues Romanos, qui ex Romanis exercitibus ad Pœnos tranſierant, tanquam patriæ fugitiuos crucibus affixit, *Valerius Maxim. lib.*2. *ca.*2. Galba Imperator, *Sueton. Tranquil. c.*9. *in Galba,* tutorem, quod pupillum cui ſubſtitutus erat veneno necaſſet, quamuis ciuem Romanum, cruce affecit. Et pœnam eſſe hoſtis a ſenatu iudicati tradit Tranquillus, *idem in Neron. c.* 45. ceruicem inſeri furcæ, corpus virgis ad necem cædi. More tradito, Romanis nefas erat virgines pœna ſtrangulare, *idem in Tiberio c.* 61. Ideo prius a carnifice comprimi ſolitas. Sicque teſtatur Dio Caſſius & Suetonius Tranquillus, cuius verba, *Immatura,* inquit, *puella, quia more tradito nefas eſſet virgines ſtrangulari, vitiata prius a carnifice, dein ſtrangulata.* Et Cornelius Tacitus *lib.*5. *annalium,* dum loquitur de animaduerſione in liberos Seiani, *Tradunt,* inquit, *temporis eius auctores, quia triumuirali ſupplicio affici virginem inauditum habebatur* (loquens de filia Seiani) *a carnifice laqueum iuxta compreſſam. Exin obliſis faucibus id ætatis corpora in gemonias abiecta.* Crucis ſupplicium maius, quam ſuſpenſionis: nam in eo & vita cum cruciatu affixionis membrorũ cruci diutius trahebatur, & ſuffixi ita fame peribant, nullo in cruciatu ſubueniente, vt factitatum de Chriſtianis quamplurimis narrat Nicephorus *Calliſti, lib.*7. *cap.* 7. Conſtare & poteſt ex eo, quod narrat Trogus de Hannone Carthaginenſi, qui Philippi regis Macedonum floruit ætate, qui cum ob potentiam vellet tyrannidem vſurpare, captus a ciuibus, primum virgis cæſus eſt, deinde effoſſis oculis, fractiſque cruribus & manibus, cruci affixus. Firmat id Iuſtinus *in* 2. *ex Trogo,* dicens Bomilcharem Amilcaris filium, Pœnorum ducem, dum veniſſet in ſuſpicionem cum Agathocle conſpiraſſe, in medio foro patibulo crucis affixum fuiſſe: indeque cum magnis clamoribus multiſque conuitiis, ſubditorum ingratitudinem obiurgaſſe, & inter clamores ſpiritum e-
miſiſſe. ¶ Nunc † ſuppliciis ademta crux, quia coli & venerari di- 4
gna, in memoriam ſalutis eius inſtrumento humano generi elargitæ a ſummo Deo per vnigeniti filii ſui redemtionem & adorandam paſſionem, *l. decernimus,* 26. *C. de epiſco.* & *cler.* §. 1. *de monach. in Authent.* Suſtulitque ex vſu pœnarum Conſtantinus Magnus, inuenta Dominica, & Maxentio virtute crucis ſuperato. Atque Cæſares, neq; crucis ſignum depingi, vel ſculpi humi patiuntur, ne pedibus conculcare inſtrumentum ſalutis videamur, *l. vnic. nemin. lic. ſig. C. ſaluato.* & *c. C.* Nunc furcis bicornibus, vel triangulatis ſtipitibus, vel arboribus ſuſpenduntur ſcelerati, neque cruci, vt olim affiguntur membra, ſed laqueo ſuffocantur: quæ fuit pœna Iudæ, qui laqueo ſe ſuſpendit. Et ea pœna ſcribit Homerus *in fine Odyſſ.*10. affeciſſe Vlyſſem ancillas impudicas.

## De lapidatione, & iaculorum confoſſione.

### Cap. 18.

1 *Lapidatio quibus lege diuina impoſita,* & *qui lapidati.*
2 *Iaculis confodere, pœna.*

ALia pœna mortis † legis diuinæ, lapidibus necari & obrui: 1
quæ impoſita fuit filiabus in domo patris virginitatem maculantibus, *Deuteron.*22. & adulteris, *Deutero.*22. *Ioan.* 8. blaſphemis, *Leuit.*24. 3. *Reg.*21. *Actor.*7. & aliis impiis. Hoc genere ſupplicii Hecuba vxor Priami a militibus Gręcis affecta, & lapidibus obruta, quod multa ingereret maledicta & infauſta omnia imprecaretur in exercitum Græcorum: cuius ſepulcrum apud Abydum ſtatuitur, appellaturque Cynoſſema ob linguæ proteruiam, impudentemque petulantiam, vt auctor Dictys Cretenſis *lib.*5. *de bello Troian.* Lucius Cornelius Cinna ob nimiam crudelitatem a militibus lapidibus occiſus, *Plinius iunior lib. de vir. illuſtr.* Arrianus ſcribit etiam, *lib.*4. *de exped. Alexand.* Hermolaum Sopolidis filium, ob inſidias Alexandro Magno ſtructas, & ceteros eius factionis comprehenſos, a circunſtantibus lapidibus obru-
tos. ¶ Exſtat † in Exodo *cap.*19. pœna, qua mandantur affici, qui 2
montem in quem Dominus Moſi collocuturus deſcẽderat, contigiſſet, nempe, vt aut lapidibus opprimerentur, aut confoderentur iaculis. Hodie inter pœnas militares ea videtur eſſe, reos mortis machinulis, quas arcabuſios dicimus, & earum glandibus petere & necare.

## De præcipitatione, & ſubmerſione.

### Cap. 19.

1 *Præcipitatio, pœna mortis vbi.*
2 *Submerſionis pœna.*

MEminit ſacra pagina † de mortis pœna præcipitii, quando 1
ex ſuperiori loco, quis, vt moriatur, deturbatur. Qua pœna affecta impia Iezabel iuſſu Iehu, 4. *Reg. cap.*9. Amaſias etiam cum viciſſet filios Seyri, in valle Salniarum decem millia captiuorum

adduxit

adduxit in præruptum petræ, & iuſſit præcipitari de ſummo in præceps, qui vniuerſi crepuerunt, *Paralip.6.25.* Hac pœna præcipitii e rupe affectum a Delphis Æſopum Phrygium, auctor Maximus Planudes *in vi. AEſopi, & Plut. de ſera numi. vind.* incuſatum ſacrilegii, falſo tamen. Lucretius *libr.3.* de hac pœna meminit,

*Sed metus in vita pœnarum pro malefactis*
*Est inſignibus, inſignis ſcelerisq; luela,*
*Carcer, & horribilis de ſaxo iactu eorum.*

Eleorum lex de ſaxo Typœo fœminas deiici iuſſit, quæ ad olympicos ludos penetraſſent, quæve Alphæum, diebus quibus erat eis interdictum, omnino tranſmiſiſſent, auctore Pauſania *in 10. libr. Eliacorum,* Lex 12. tabularum, quoque de falſo teſte, ſic ait, *Falſus teſtis Tarpeio deiicitor.* Vulgareque ſupplicium fuiſſe apud Romanos teſtatur Dionyſius Halicarnaſſæus *lib.8.* Quo ducti in eminentem in foro tumulum, ibi vaſta rupe deiiciebantur: cuius erat altitudo, etiam ſecure aſpicientibus, horrenda, meminit Seneca 3. *decla. libr.1.* Cornel. Tacitus *lib.2. annal.* refert, L. Pituanium Mathematicum, iuxta ſenatuſconſ. de Mathematicis maniſque Italia pellendis, ſaxo deiectum. Sacrilegos ſic ex alto deiectos, tradit Euſebius *libr.8. de præpara. Euangel.* C. Caligula crudelis nimium, eum qui ſe periturum gladiatoria arte pro ſalute ſua vouerat cunctantem, puerum tradidit verberatum infula tumque, qui votum repoſcentes per vicos agerent, quoad præcipitaretur ex aggere, *Sueton. in Calig.* De rupe, *Leonicen. libr.2. de var. hiſto. cap.55.* Typœa Olympiæ deiiciebantur præuaricantes in ſacris certaminibus. Lycas ab Hercule præcipitatus eſt, quod ei tunicam Neſſi ſanguine tinctam, venenoque imbutam attuliſſet, *Ouid. in Ibin.* Sicut & diruta Troia Aſtyanactes Hectoris filius in præceps datus mira immanitate ab Vlyſſe, *Ouid. in Ibin, & 13. Metamor. Senec. in Troiade.* Deiecit & de ſaxo Capitolii Manlius vigilem, qui in excubiis poſitus Gallos in Capitolium aſcendentes non detexerat, vt auctor Liuius *libr.5. Decad.1.* Et Daphidas ſophiſta ab Attalo rege, quem ſæpe contumeliis abſentem laceſſerat, ex ſaxo, cui nomen Equus, præcipitatus eſt, auctore Valerio Maximo *libr.1. cap.8.* Modeſtinus tamen Iuriſconſultus tradit, *l. ſi diutino, 25. § final. de pœn. in P.* non poſſe aliquem damnari, vt de ſaxo præcipitetur. Et Conſtantinus Imperator *in l.1. de emend. ſeruo. lib.9. C. tit.14.* tetram iuſſionem & vetitam ait, mandatum, vt quis præcipitetur.
2 ¶ Alia † pœna ſubmerſionis eſt, quæ maxima & generalis fuit tempore diluuii, *Geneſ. c.7.8.* Octauius Cæſar, *Sueton. Tranquil. in Octauio, c.67* pædagogum, miniſtroſque Caii filii, per occaſionem valetudinis mortiſque eius ſuperbe auareque in prouincia graſſantes, oneratos graui pondere ceruicibus præcipitauit in flumen. Traianus omnes delatores nauibus ſine velis & remis impoſitos fluctuum miſericordiæ exponi iuſſit, *Plinius in 2. Panegyr. ad Traianum.*

## De Beſtiarum obiectione. Cap. 20.

*1 Beſtiarum obiectio pœna capitalis, & diuina & ciuilis.*

1 ALia † pœna mortis a Deo aliquando in ſacra pagina appoſita eſt, beſtiarum ferarumque laniatu necari & deuorari. Eam pœnam pertulit Propheta ille, qui legatione functus Dei ad Hieroboam, non eſt ſecutus mandatum Dei, ſed bibit & comedit in via legationis contra id, quod interdictum erat: atque idcirco iuxta verbum Domini a leone in itinere occiſus eſt, *3 Reg. c.13.* Sic coloniæ translatæ de Aſſyriorum regno in Samariam, a qua rex Salmanaſar expulerat Iudæos, cum illæ non timerent Dominum, a leonibus a Deo immiſſis deuorabantur, *4. Reg.17.* Atque cum maledixiſſet in nomine Domini Heliſæus pueris paruis egreſſis de ciuitate Bethel, per quam viam faciebat, dicentibus, *Aſcende calue, aſcende calue,* exſilientes de ſaltu duo vrſi lacerauerunt ex ipſis quadraginta duos pueros, *4. Reg.2.* Deus, cum murmuraret populus in deſerto terræ Edem aduerſus eum & Moyſem, miſit in eum ignitos ſerpentes, qui lethales inferrent plagas, *Numero. ca.21. canon. quia ſancta, §. verum, 63. diſt.* Sic in ſumma Deus minatur populo contumaci pœnam hanc, *Dentes beſtiarum immittam cum furore ſerpentium, Deuteron. 32.* Et per Ezechielem *cap.5.* inter alias grauiſſimas pœnas, quas Deus populo rebelli & impio minatur, addit & famem. *Congregabo ſuper vos, & conteram baculum panis, & immittam in vos famem, & beſtias peſſimas vſque ad internecionem. Et peſtilentia & ſanguis tranſibunt per te, & gladium inducam ſuper te: ego Dominus locutus ſum.* Et rurſum *Ezechiel 35.* ad adulteros & homicidas, *Viuo ego, quia qui in ruinoſis habitant, gladio cadent, & qui in agro eſt, beſtiis tradetur ad deuorandum: qui autem in præſidiis & in ſpeluncis ſunt, peſte morientur. Et dabo terram in ſolitudinem, & in deſertum.* Vt cõtra, inter benedictiones obediẽti populo & Deus pollicetur, *Leuitic.26. Auferam malas beſtias, & gladius non tranſibit per vos.* Et rurſum, *Ceſſare faciam beſtias peſſimas de terra, & qui habitant in deſerto, ſecuri dormient in ſaltibus, Ezechiel.34.1.* Meminit & ſacra pagina Darium regem Perſarum & Medorum, pœnam aliquando ſtatuiſſe in Deos alienigenos adorantes, vt beſtiis & leonibus lacu nutritis deuorandi obiicerentur, *Daniel.6. & 14.* Obiecta eſt deuoranda Heſione monſtro marino piſtrici, cuius belluæ vt ait Virgilius 3. *AEneid.*

*Prima hominis facies, & pulcro pectore virgo*
*Pube tenus, poſtrema immani corpore piſtrix.*

Et Andromede Cephei & Calliopes filia Ceti deuoranda expoſita ſcopulo alligata a Nymphis: eo quod ſe forma antecellere Nereidas gloriaretur. Liberata a periculo per Perſeum, ſicut & Heſione per Herculem. Alia pœna auibus exponi.

*Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus,*
*Aſſiduam nimio pectore pauit auem. Martia. lib.1. epig.7. AEſchil. in Prometh. liga.*

Iure ciuili damnatio ad beſtias etiam recepta erat, *Paul. l. ad beſtias, 31. de pœn. in P.* quæ vitam quoque adimit, *l. ſi quis filio exheredato, 6. §. irritum, verſic. ſed & ſi quis, de iniuſt. rupt. libr.28. P. titul.3. Paul. l. qui vltimo ſupplicio, 29. de pœn. in P.* Ad beſtias damnati, vel vt deuorarentur ab eis, vel in ludum venatorium reſeruabantur quo ludo ſerui pœnæ affecti iuniores, qui robore valebant, damnabantur, *l. aut damnum, 2. § quicunque, de pœn. in P.* vt ſpectaculum populo, cum vitæ ſuæ diſcrimine, exhiberent. Suetonius Tranquillus crudelitatem Caligulæ deſcribens, *in Calig. cap.27.* tradit eum Cæſarem, cum ad ſaginam ferarum muneri præparatarum carius pecudes compararentur, ex noxiis laniandos eis annotaſſe, multoſque honeſti ordinis deformatos prius ſtigmatum notis, ad metalla & munitiones viarum, aut ad beſtias condemnaſſe. Equitemque Romanum obiectum feris, cum ſe innocentem proclamaſſet, reduxiſſe: rurſumque abſciſſa lingua induxiſſe. Subiici dicuntur beſtiis etiam, qui laniandi illis præbentur a Modeſtino. *l. pœna, ad leg. Pomp. de parricid.* & Marcello, *l.3. ad leg. Corn de falſ.* Græci Macedones aliique populi, vſi hac pœna ſunt, vt reos damnatos laniandos feris obiicerent, vt & apud Pauſaniam *libr.1.* ſcriptum eſt, Lyſimachum Macedonem Alexandri Magni ſatellitem, in eandem caueam cum Leone regis ira obiici iuſſum: ſed cum beſtiam a Lyſimacho interemtam mox rex audiuiſſet, viri perpetua admiratione virtutem proſecutum. Scribit Florus *ex Liuio libr.51.* Scipionem, exemplo patris ſui Pauli Æmilii, qui Macedones vicerat, ludos edidiſſe, & fugitiuos & transfugas beſtiis obiecisse. Obiectio beſtiarum erat ſine pugna, expoſitio hominis vt laniaretur a beſtiis: quod vt aliquando facilius fieret, obiiciebatur reus ligatus, vel furca ſuſpenſus quo pertinet illud Martialis *li.1. Epigramm. epigram.7.*

*Nuda calidonio ſic pectora præbuit vrſo,*
*Non falſa pendens in cruce Laureolus.*

quod non fit, cum ad beſtias dantur rei, eaque etiam minor pœna & liberorum, quam obiici feris dicitur, minorque vltimo ſupplicio, ab Vlpiano *in l. quicunque, 8. ad leg. Cornel. de falſ. in P.* Nam etſi quis venationi vel pugnæ ferarum addictus fuiſſet, & certationis diſcrimine pœnam luiſſet, culpæ vacuus & alterius pœnæ erat. Non ita ſi quis obiectus feris fuiſſet. Siquidem qui vel aliqua arte, vel fortuna intactus a feris remanſiſſet, alia pœna vita priuatur. Sicuti legimus apud Cornelium Tacitum *libr.18. Annalium, ſeu ſecundæ hiſtoriæ,* Maricum quendam e plebe Boiorum, qui rebellionem Galliarum iuxta Æduos manu parua collecta hominum concitauerat, captum & mox feris obiectum iuſſu Vitellii, quia non violabatur, & ideo a vulgo ſtolido inuiolabilis credebatur, ſpectante Vitellio interfectum. Norunt enim Phyſici, quædam contra ferarum impetum amuleta, quibus ſe præmunire poterant obiecti. Veluti ſi citrium malum comediſſent: vt refert Athenæus *libr.3. cap.5.* experientia certiſſimum probatum, vel ſi chalcãtho vrſorum ora & leonum in arena aſperſiſſent: tanta enim ei eſt vis adſtringendi, vt non queant mordere, vt docet Plinius *li.34. c.12.*

## De Peſte. Cap. 21.

*1 Peſtis & epidemia quid.*
*2 Peſtis cauſſæ naturales & diuinæ.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

3 *Peſtis flagellum Dei. Duo alia flagella fames, bellum, eodem.*
4 *Peſtis amouendæ cauſſa etiam ab ethnicis ſupplicatum.*
5 *Peſtis malorum acerrimum.*

1 PEſtem † λοιμὸν Græci vocant, morbum videlicet epidemium, non quidem ſimpliciter, ſed pernicioſum & lethalem. Adeoque epidemius genus ad pernicioſum & mitiorem morbum pertinens λοιμὸν namque ἐπιδημίαν ὀλέθρον, id eſt, pernicioſam epidemiam. ἐπίδημον quippe Latinis popularem morbum, hoc eſt, tempore aliquo eodem in loco abundantem, non tamen exitium adferentem, *Galen. lib. 1. de ratio. vict. in mor. acut.* Galenus ad Piſonem de Theriaca peſtilentem lucem dicit, veluti feram quandam ab aeris putredine exortam per inſpirationes influentem non vnum aut alterum hominem, ſed plures quoque ciuitates depaſcentem, vaſtantem & depopulantem. ¶ Quamuis
2 peſtis multæ † ſoleant eſſe cauſſæ, & aliquando ex ſordibus reſidentibus, nec purgatis cloacis oriatur *l. 1. §. 1. de cloac.* Aliquando, vt ait Heraclides Ponticus *in allegor. Homeri.* peſtilentibus morbis præcipua, naturalis ſcilicet, cauſſa eſt in Sole: cum enim æſtiua lux mollis ac blanda, temperato calore leuiter fouetur, ſalubris aura hominibus ſpirat. Sicuti ſi calore vel nimio ardore æſtuet, morbidos ex terra vapores trahit: ægra autem corpora, & ob inſolitam mutationem aeris languentia, peſtilentibus morbis conſumuntur. Diodorus Siculus *libr. 12. Biblio.* ex aquis ſtagnantibus, ex æſtu Solis concalefactis, & efferuentis auras craſſas tetrique odoris exhalare tradit, has diffundi, inficere halitum: item & fruges nimium humectas, indecocto ſucco virulentas veſcentes mortales inficere, auramque æſtiuam nocere, ſi Etheſiis non refrigeretur.

3 ¶ Tamen † proprie peſtis, epidimiticus morbus, contagio populum inficiens, flagellum Dei eſt, & pœna peccatis impoſita. Eam enim comminatur Deus recuſantibus ſuſcipere ſuam diſciplinam, *Leuit. c. 20. d. Numer. 14. b. 2. Reg. 24. 6 cap. can. 1. 24. q. 3. Peſtilente flagellato ſtultus ſapientior erit*, inquit Salomon, *Prouerb. 19.* Et quando inſignem vindictam Deus multitudinis peccantis decreuit exſequi, tria vt plerumque flagella exſerit, peſtem, gladium ſeu bellum, & famem. Sic apud Ezechielem *6. cap.* Dominus ait ad Prophetam, *Percute manum tuam, & allide pedem tuum, & dic, heu ad omnes abominationes malorum domus Iſrael: quia gladio, fame & peſte ruituri ſunt. Qui longe eſt, peſte morietur, qui autem prope, gladio corruet. Et qui relictus fuerit & obſeſſus, fame morietur.* Et rurſum *Ezech. 7. Gladius foris, peſtis & fames intrinſecus. Qui in agro eſt, gladio morietur: qui in ciuitate, peſtilentia & fa-*
4 *me deuorabuntur.* ¶ Nouerunt † & ethnici pœnæ cauſſa a numine immiſſas ſæuiſſimas peſtes, etſi illi nihilo meliores fuerint facti, nec verum Deum ideo amplexi ſint. Proinde anno ab vrbe condita Roma 384. vt auctor Paulus Oroſius *lib. 3. contra gentes, c. 4.* L. Genutio & Q. Seruilio Coſſ. a Saltibus Calabris orta aura Romæ quæ vniuerſa corrumperet, ludos ſcenicos ad placandos ſuos Deos exhibuerunt. Et anno ab vrbe condita 450. exſiſtente bello Romanis cum Samnitibus, Romam tam atrox peſtis inuaſit, vt conſulerent libros Sibyllinos, & Colubrum Epidauri & lapidem Æſculapii, *idem lib. 3. c. 22.* Vt & in alia ſæuiſſima peſte duorum annorum Romæ Sibyllini libri conſulti reſponderunt, iram Deorum veniſſe. *idem lib. 4. c. 5.* Omitto ſimilia in cladibus peſtiferis Romanis obſeruata, & ſacrificia & lectiſternia ob eam auertendam facta, *Liu. in 5. Valer. Maxim. in 2. Cenſor. de die nata. D. Auguſtin. libr. 3. de ciuitat. cap. 17.* Crediderunt idipſum Carthaginenſes, *Oroſ. libr. 4. cap. 6.* qui dum iram Dei in peſtifera aeris temperie feruentem placare ſe putarent, humanis iuuenum hoſtiis expiarunt. Sic Homerus ſcribit *1. Iliade*, Græcorum exercitum peſte mulctatum, ob raptum Chryſeidis per Agamemnonem factum. Hebræi Thalmudiſtæ in פירקי אבות Pirke abot, *in Pirke abot, ca. 5. vbi plura & in ſequentib. ſentent. eius capitis, ex quibus vitiis immittitur a Deo peſtis*, id eſt, capitulis patrum ſic ſcriptum habent, דבר בא לעולם על מיתות האמורות בתורה שלא ימשרו לבית דין ועל פרות שביעית lege ſic, deber ba legnolam, gnal mithoth haamuroth bethorah ſcelo imſeru lebet din vegnal perot ſcebignit: id eſt, peſtis venit in mundum, quæ denominatæ ſunt in lege: ſcilicet quando non traduntur iudicio puniendi malefici: necnon & propter fructus anni ſeptimi, nempe ſi fructus anni ſeptimi communes non relinquantur, maxime pauperibus, vt ſtatuerat in lege Moſis Deus, *Leuit. c. 25.* Æſchines *epiſtol. 1. ad Philocrat.* refert Delienſes peſte teterrima punitos ab Apolline, quod vir quidam illuſtris contra morem veterem in inſula ſepultus fuiſſet: additque ita, ἐκ τούτου οὖν προσβάλλειν αὐτοῖς τὸν θεὸν τὴν νόσον ταύτην ὑπελάμβανον, id eſt, *ea igitur de cauſſa Deum ſibi morbum illum immittere putabant.* ¶ Conſtantinus † peſtis feralis conſumtionem 5
maleficis & incantatoribus pro diro ſupplicio imprecatur, *l. multi magicis 6. de malef. & mathem. li. 9. C. tit. 18.* Et Iuſtinianus *in §. 1. tit. nullum, creden. agrico. tenere illius terram &c. in Authen. coll. 4. tit. 5.* triſtiſſimam dicit peſtem, incurſione barbarica non minorem. Imo maiorem cognoſcimus, quando data trium exitialium malorum electione Dauidi, peſtis trium dierum tantum æquiparatur perſecutioni hoſtili trium menſium, & fami ſeptem annorum, *2. Reg.*

## De Bello. Cap. 22.

1 *Bellum carnificina, & vindicta ſcelerum.*
2 *Bella ob quid introducta.*
3 *Bellum iuſtum quod dicitur. & 5.*
4 *Bellis num perſonæ eccleſiaſticæ intereſſe poſſint.*

BEllum † inter mortifera flagella diuina annumerandum eſt, 1
ob peccata immiſſum. Eſtque bellum, veluti carnificina compendioſa hominum: cum enim ad bellum perditiſſimi quique facile concurrant, vel ſpe lucri, vel rapiendi, vel vlciſcendi cupiditate, vel ambitionis & gloriæ illecti, roboriſque animalis oſtendendæ cauſſa plures vna die meritas mortes & citius obeunt, quam ſi iuriſdictionum omnium ſecures iuris ordine ſeruato promerentur. Habent populi & regna in ſuo corpore, ex pluribus compacto, & fæces, & ſordes, & quædam, quæ niſi tollantur, corpus vitiant, vt priuata corpora habent. Quare expedit aliquando bellum concitari vt perditis illis & nihili hominibus exonerentur, ceteri meliores reddantur. Suntq; magnates aliqui, qui vere tyrannicam vitam agunt, qui caſtigari a probis non poſſunt, nec debent, vt oporteat bellum in eos, vt carnificem aduerſus damnatos, excitari: miniſterium in mouendo præbent homines, ſed Deus per eos, velut per inſtrumenta iuſti iudicii, pœnas repoſcit. Comminatur Deus *Leuit. 26. Si nolueritis recipere diſciplinam meam ſed ambulaueritis ex aduerſo mihi, ego quoque contra vos aduerſum incedam. & percutiam vos ſepties propter peccata veſtra: inducamque ſuper vos gladium vltorem fœderis mei.* Minatur & ob ſcelera immiſſurum ſe gladium apud Ezechielem *6. & 7.* Et Hebræi Thalmudiſtæ dicunt *in Pirke abot, c. 5.* חרבא לעולם על ענוי הדין ועל עוות הדין ועל המורים בתורה שלא כהלכה lege, chereb legnolam gnal gninui hadin, vegnal gniuuth hadin, vegnal hamorim bathorah ſcelo ceholachah, id eſt gladius venit in mundum propter afflictionem & peruerſitatem iudicii: item propter eos, qui legem non recte docent. Sic vltor iniquitatum gladius eſt, *Iob. 19.* Ex bellis, cum eueniunt, vt ait Socrates apud Platonem, & publice, & priuatim magnæ vrbem calamitates inuadunt, *Plato, lib. 2. de Repub. vel de iuſto.* Bellique dicitur calamitas pleraque iniuſta ſuaſiſſe, *l. vni. de cad. toll. C.* Verum incommoda, moleſtias & damna facile ex oratione Iſocratis de pace & ex Demoſthene de falſa legatione colligere licet. Sed & noſtra reſpublica Gallicana plura mala ex bellis & ſeditionibus experta eſt, quam poſſint literis nunc breuiter conſignari. *Quid aliud bella*, inquit Paulus Oroſius *li. 1. c. 1. dicenda ſunt, quam vrgentia in alterutrum mala: mala ſcilicet huiuſmodi quæ fuerunt, vel quæ nunc ſunt: & in quantum ſunt, aut manifeſta peccata ſunt, aut occulta punitiones peccatorum.* ¶ Belli † finis eſt, vel eſſe debet, iuſtitia, pax: pacis fi- 2
nis amicitia, ac vnio. Principium bellorum, iniuſtitia: quia eſt contrariorum pugnantia, & inæqualitas, vt ait Proclus *in commentariis in Alcibiad. primum Plato.* His Phurnutus videtur adſtipulari dicens, περὶ θεῶν φύσεως, c. περὶ ἄρεος καὶ ἐνυοῦς. ὁ δὲ ἄρης τὴν ὀνομασίαν ἔσχεν, ἀπὸ τοῦ αἴρειν, καὶ ἀναιρεῖν· ἢ ἀπὸ τῆς ἀρᾶς, ἡ ἐστι βλάβη καὶ τὰ ἐναντίωσιν, ὡσανεὶ ἀκμαλιστομένων αὐτῶν τῶν προσπορευόντων, ἀπὸ τοῦ ἄρσαι, ὅ ἐστιν ἁρμόσαι. ἡ γὰρ ὀργὰς ἰσχὺ δύναμις προσαρμόζει τὰ πράγματα· id eſt, ἄρης, *Ares, Mars hanc appellationem obtinuit, ab* αἱρεῖν *&* ἀναιρεῖν, *a tollendo & occidendo, aut* ἀπὸ τῆς ἀρᾶς, *a damno, quod dare ſolet: aut eo nomine appellant blandientes,* ἀπὸ τοῦ ἄρσαι, *a conciliando & in concentum adducendo. Nam vis effectiua res omnes in conſonantiam redigit. Tempore belli*, inquit D. Ambroſius *to. 3. ſer. 88. Potiſſimum remedium quieſcere a peccatis quia tunc ciuitatis porta munita eſſe poterit, ſi prius in nobis iuſtitiæ portæ muniantur. Ceterum nihil prodeſt munire muros propugnaculis, & Deum prouocare peccatis: cum enim bella, vt dixi, ſint ad peccata caſtiganda, cauſſa morbi perſeuerante nec emendata, neceſſe eſt flagellum belli impendere.*

Sic

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Sic enim & dixit Ariſtoteles *libr. 8. Politic.* idcirco bellum geri-
mus, vt in pace viuamus, quam peccata & ſcelerati conturbant.
Et tunc bello iuſto militans, Deo placere poteſt, *ca. noli exiſtima-
re, 23. q. 1.* Etiam ſi hoſtem vincat, *ca. 2. verſ. cum autem, 23. q. 2. ca*
*mente,* non vt fundatur ſanguis, ſed vt rempublicam iuuet, *ca. ſi
non, & ca. diſplicet, 23. q. 4. can. noli, 23. q. 1.* Vt ſit pax, mali coerce-
antur, boni ſubleuentur, *ca. apud veros, 23. q. 4. d. ca. diſplicet, 23. q.*
3 4. Iuſtum † autem eſt hoc modo bellum, quod ex edicto geritur
de rebus repetendis, aut propulſandorum hominum cauſſa, *c. 1.
23. q. 2. l. hoſtes, de ca. & poſtli. reuerſ. in P.* vel ob defenſionem le-
gum diuinarum, quale Machabæorum fuit, 1. *Machab. 3.* & po-
4 puli Iſraelitici. ¶ Quibus † & ſacerdotes adhortandi cauſſa in-
tererant, quia bella Dei erant ad eradendam de terra idololatri-
am. Quod & nunc permittunt ſacerdotibus iura pontificia, *c. i-
gitur, & ibi gl. fin. 23. q. 8. ca. maximianus, 23. q. 3.* Iniuſtis autem
intereſſe non debent, alioquin irregulares fiunt, *Innocen. & Pa-
nor. in c. petitio, de homicid.* Atque pugnare in iuſtis quoque inter-
dictum, *d. ca. petitio, ca. ex multa, de voto.* Neque enim Dauidi,
quia multa bella contra infideles, quamuis Philiſteos geſſerat,
& quia ſanguinem ita fuderat, permiſit Deus ſibi ædificare tem-
plum, *1. Paralip. c. 22. c. 2. 1. q. 7. can. 1. §. qualiter, de conſecrat. diſt. 1.*
Dauid enim fuit Noui Teſtamenti præfigurator, *ca. quid autem,
32. q. 1.* Et proinde hodie qui ſanguinem fuderit, etſi ſine dolo,
tamen a promotione ad ſacra repellitur, *c. ſi quis viduam, 50. diſt.*
Et Moyſes aliis pugnantibus non ſe miſcuit, ſed erat orans, vt ex-
emplo doceret, prælatos bellare non debere nec bellis intereſ-
ſe, *ca. ſi quis vult, 36. diſt. can. porro, 16. q. 3. ſeorſum c. 1. 3. q. 8. can. con-
uenior, eo.* Obnoxii tamen ſunt principibus ſeculi, & pro bellis
gerendis tributa rerum temporalium præſtare & ſoluere de-
5 bent, *c. ſi in morte, §. ecce, & can. ſi vobis, 33. q. 8.* ¶ Principes † por-
ro ſeculares ſibi cauſſas belli proponunt iuſtas, ob quas Atheni-
enſes bella geſſiſſe Demoſthenes ait *in orat. de Rhodio. liberta.*
cum liberis populis, ἢ περὶ τῶν ἰδίων ἐγκλημάτων, οὐ δυνηθέντων δημο-
σίᾳ διαλύσασθαι ταῦτα· ἢ περὶ γῆς μέρους, ἢ ὅρων, ἢ φιλοτιμίας, ἢ τῆς ἡγεμονίας.
id eſt, *aut propter priuatas iniurias, pro quibus ſatisfacere non potue-
runt: aut pro parte agrorum, aut pro finibus, aut pro contentione hono-
ris, aut pro principatu.*

## De Fame. Cap. 23.

1 *Famem eſſe flagellum Dei in pœnam immiſſum.*
2 *Fames duplex in ſacra pagina.*
3 *Fames vnde fiat.*
4 *Benedictio Dei cauſſa abundantiæ: & contra eius ſubtractio cauſſa famis, & num. 3.*
*Sacrificandi ius filiæ ſacrificio in perpetuum progeniei quæſitum, eod.*
5 *Fames pœna hominibus grauiſſima. Et illius neceßitas vrgentißima cogit ad mala.*
6 *Famis & eius imaginis deſcriptio.*

1 FAmem † eſſe flagellum lethale Dei ob ſcelera hominum, ſa-
tis ex proxime ſacræ paginæ citatis locis intelligitur, dum in-
ter tres ſæuiſſimas pœnas, quas Deus comminatur, dictum eſt
famem annumerari, *2. Reg. 24. Ezech. 6. & 7.* Et in Deuterono-
mio 28. *Si nolueris audire vocem Domini Dei tui, mittet ſuper te fa-
mem & eſuriem, & increpationem in omnia opera tua, quæ tu facies,
donec conferat te, & perdat velociter, propter adinuentiones tuas peßi-
mas, in quibus reliquiſti me.* Ad pœnam itaque impiorum fames,
& ad exercitium & meritum maius bonorum, *ca. non omnis, verſ.
exercet, 5. q. 5.* Sicut & patriarchæ ob famem afflicti: ob eam pe-
regrinatus Abraam, *Geneſ. 12. Actorum 7.* & filii Iudæ, *Geneſ. 41. &
ſeq.* & in fame Diuus Paulus *Pſal. 58. can. audacter, 8. q. 1. can. ieiu-
nium, 76. diſt.*

2 ¶ Duplex † fames in ſacris literis, vna verbi Dei priuatio ob
ſcelera, ob quæ priuatur pabulo cœleſti anima, quia eam eſcam
contemſit: ſic conuerſi ad veſperam peccatorum famem pati-
3 untur, vt canes, circuuntque ciuitatem, *2. ad Coloſſ. 11.* ¶ Alia † fa-
mes, ciborum temporalium rerum. Famis cauſſa eſt generalis,
non penuria quidem frumenti, vel ſterilitas, ſed ſubſtractio be-
nedictionis, quam Deus dat tritico, & cibis, cuiuſque vi nutri-
unt, *Geneſ. 1.* quæ poteſtas ſicuti benedictione datur, ita maledi-
ctione adimitur a Deo. Cœpitque minui vniuerſorum benedi-
ctio, in peccato primi parentis, dum dictum fuit, *Maledicta ter-
ra in opere tuo, in labore vultus tui veſceris pane tuo, Geneſ. 3.* Hanc
benedictionem ſcriptura ſacra, baculum, virgam, firmamen-
tumve panis dixit: vt apud Dauidem *Pſalm. 104. Deus vocauit fa-
mem ſuper terram, & omne firmamentum panis contriuit.* Et apud
Ezechielem *4. verſ. 16. Et dixit ad me,* inquit Propheta, *Deus: Pro-
pheta filii hominis, ecce, conteram baculum panis in Hieruſalem, &
comedent panem ſuum in pondere & in ſolicitudine, & aquam in an-
guſtia & menſura bibent.* Et rurſum *Ezech. 5. verſ. 16. Famem con-
gregabo ſuper vos, & conteram in vobis baculum panis.* Et iterum
*Ezech. 14. verſ. 12. & 13. Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Fi-
li hominis, terra cum peccauerit, vt præuaricetur præuaricans, exten-
dam manum meam ſuper eam, & conteram virgam panis eius, & im-
mittam in eam famem, & interficiam hominem & iumentum.* Famis
pœna vt plerumque inflicta pro contemtu Dei, veluti propria
medicina: impinguati enim & ingraſſati Dei beneficiis recalci-
trant, & relinquunt Deum beneficum, *Deuter. 32.* Alii abutun-
tur, & ſibi vſurpant bona, quæ pauperibus debentur: vnde & fa-
mes quandoque, *ca. reuertimini, 16. q. 2.* Et Hebræi Talmudiſtæ
colligunt, ob decimas & primitias Deo non ſolutas, famem im-
mitti *in pirke abot, cap. 5.* ¶ Putarunt † quoque antiqui ethnici, 4
ira numinis ob aliquod graue, vel plura peccata, famem immit-
ti. Quamobrem & ſacra ob placandum numen ſæpe inſtitue-
runt: veluti cum Athenienſes vrſam, quæ in templo Munychiæ
Dianæ in Pireo inſula occidiſſent, famem perhibent conſecu-
tam: oraculumque editum, ceſſaturam, ſi quis filiam ſuam Dia-
næ immolaſſet. Quod & fecit Embarus, pacta illius ſacrificii
perpetua ſucceſſione familiæ ſuæ, vt ſcribit Suidas *in ver.* ἄμβα-
ρος εἰμί. Et Heſiodus *in Ergis:*

οὐδέ ποτ' ἰθυδίκῃσι μετ' ἀνδράσι λιμὸς ὀπηδεῖ,
οὐδ' ἄτη, θαλίῃς δὲ μεμηλότα ἔργα νέμονται,
τοῖσι φέρει μὲν γαῖα πολὺν βίον.

Id eſt:

*Neque vnquam inter homines iuſtos fames verſatur,*
*Neque noxa: in conuiuiis enim partis opibus fruuntur,*
*His enim infert terra multum victum.*

Cui conuenit quod Dauid notat *Pſal. 36. Non vidi iuſtum dereli-
ctum, nec ſemen eius quærens panem.* Et, *Nouit Dominus dies imma-
culatorum, & hereditas in æternum erit: non confundentur in tem-
pore malo, & in diebus famis ſaturabuntur, quia peccatores peribunt.*
Et rurſum *Prouer. 10. Non affliget Dominus fame animam iuſti, &
inſidias impiorum ſubuertet.* Ferunt pro grauiſſima pœna Tanta-
lum apud inferos ſiti & fame cruciari, *Cice. 1. Tuſculano.* ¶ Grauiſ-
ſima † hæc hominibus famis pœna. Et vt ſcribit Homerus *Od. 12.* 5

πάντες μὲν στυγεροὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσι,
λιμῷ δ' οἴκτιστον θανέειν, καὶ πότμον ἐπισπεῖν.

Id eſt:

*Omnes quidem triſtes & inuiſæ mortes miſeris hominibus,*
*Fame autem miſerrimum mori, & fatum aſſequi.*

Et Ammianus Marcellinus *libr. 17. hiſt. Rom. Mortis ignauiſſi-
mum eſt genus fame perire.* Et alibi dixit *idem lib. 19.* vltimum ma-
lorum omnium. Inter crudelitatis eximiæ Claudii Caligulæ ex-
empla, annumerat Suetonius Tranq. *in Calig. ca. 26.* quod non-
nunquam præcluſis horreis famem populo indixit. Quid enim
turpe non cogit fames, ſi ex eo releuari quis ſe arbitretur: nihil
enim turpe, nihilve vetitum eſuriens credit, ſola cura eſt, vt qua-
licunque ſorte iuuetur, vt ait Valentinianus Cæſar, *in Valentin.
nouellis titu. 11. de parent. qui fili. diſtraxe.* Ideoque & vendere filios
eo caſu licuit ingenuos, *l. 2. eod.* Legimuſque in Cyri expeditio-
ne tantum valuiſſe famem, vt milites in quadam deſerta terra in-
digentia preſſi, commilitonum corpora in cibum verterent,
*Diod. Sic. lib. 17. Biblio. in anno 7. Alex.* Et parum fuit in Samaria
fame ingruente obſeſſa ciuitate a Benadab rege Syriæ, edi &
vendi partem cabi ſtercoris columbarum quinque argenteis, &
caput aſini octoginta: niſi & illud acceſſiſſet ſpectaculum horri-
bilius, matres filios quoque deuoraſſe, *4. Reg. 6. Joſeph. lib. 9. An-
tiq. c. 4.* Et hac fame ſeditioſæ factiones facile exſurgunt trucu-
lentæ, cum pauperes nihil habentes in diuites inſurgunt, latro-
cinantur & prædantur ob inopiam. Hinc & peſtis ſæuiſſimæ ia-
ciuntur fundamenta, dum corpus vetitis & abominandis vtens
cibis, tabem ſecum concoquere cogitur: vnde virus in omnes
partes effundatur. Sed & vltimum miſerius in famis morte, pau-
latim ſingulis diebus mori. Sic enim melius eſt occiſis gladio,
quam interfectis fame: quoniam iſti extabuerunt conſumti ab
ſterilitate terræ, vt ait Hieremias *Threnor. 4.* ¶ Deſcribit † famis 6
tetram imaginem his verbis Ouidius *8. Metamor.*

*Quæſitamq; famem lapidoſo indit in agro,*
*Vnguibus, & raris vellentem dentibus herbas.*
*Hirtus erat crinis, caua lumina, pallor in ore,*

*Labra incana ſitu, ſcabrique rubigine dentes,*
*Dura cutis, per quam ſpectari viſcera poſſent:*
*Oſſa ſub incuruis exſtabant arida lumbis,*
*Ventris erat pro ventre locus, pendere putares*
*Pectus, & ab ſpina tantummodo crate teneri,*
*Auxerat articulos macies, genuum que tumebat*
*Orbis, & immodico prodibant tubere tali.*

Et paulo poſt Eriſichthonis fame affecti morbum ſic refert miſerrimum.

*Leuis adhuc ſomnus placidis Eriſichthona pennis*
*Mulcebat: petit ille dapes ſub imagine ſomni,*
*Oraque vana mouet, dentemque in dente fatigat,*
*Exercetque cibo deluſum guttur inani:*
*Proque epulis tenues, nequicquam deuorat, auras.*
*Vt vero eſt expulſa quies, furit ardor edendi,*
*Perq; auidas fauces immenſaque viſcera regnat.*
*Nec mora, quod pontus, quod terra, quod educat aer*
*Poſcit, & appoſitis queritur ieiunia menſis.*
*Inque epulis epulas quærit: quodque vrbibus eſſe,*
*Quodque ſatis poterat populo, non ſufficit vni,*
*Pluſque cupit, quo plura ſuum demittit in aluum, &c.*

Et tandem,

*Vis tamen illa mali poſtquam conſumſerat omnem*
*Materiam, dederatque graui noua pabula morbo:*
*Ipſe ſuos artus lacero diuellere morſu*
*Cœpit, & infelix minuendo corpus alebat.*

## De Pœna Excoriationis. Cap. 24.

1 *Excoriationis pœna quando. & 2.*
2 *Iudicis corrupti pecunia, pœna excoriatio.*

1 ALia † pœna refertur mortis in ſacra pagina, excoriationis:
dum Antiochus iratus in Iudæos, ſeptem vnius matris filiis,
& legis diuinæ & patriæ fidelibus martyribus, iuſſit amputari
linguam, manuum & pedum ſummitates, & cutem capiti detra-
hi, & ſartagine viuos torreri, *2. Machab. c. 7.* Hoc ſupplicium fre-
quens fuiſſe, crudele & abominabile Micheas docet, dicens, *c. 3.*
*Audite Principes Iacob, & duces domus Iſrael, Numquid non ve-*
*ſtrum eſt ſcire iudicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum:*
*qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eis, & carnes eorum deſuper*
*oſſibus eorum? Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum*
*deſuper excoriauerunt, & oſſa eorum confregerunt, & conciderunt ſi-*
*cut in lebete, & quaſi carnem in medio ollæ.* Plures Chriſtianos ob
fidem Dei excoriatos ſub Perſarum rege Barrane, teſtatur Nice-
phorus Caliſti *libr. 14. hiſtor. eccleſ. cap. 19.* ¶ Scribit Herodotus
2 *libr. 5.* † Cambyſem regem Perſarum interemiſſe Sicamnem v-
num ex iudicibus, quod pecunia corruptus male iudicaſſet, &
interemto detractum corium in lora condidiſſe, quibus tribu-
nal, in quo ille iudicaret, intendit: ibidemque filium eius Ota-
nem, ſedere iudicem præcepiſſe: atque in memoria habere, in
quo iudicaret tribunali. Manes, a quo Manichæi, excoriatus iuſ-
ſu regis Perſarum lege Perſica, & corpus reliquum beſtiis deuo-
randum traditum. Cutem vero, qua tanta illius improbitas con-
tinebatur, tanquam vtrem ante portas ſuſpendi curauit. Cum e-
nim ægrotaſſet regis Perſarum filius, & medicorum turba illi
adeſſet, Manes promittebat per orationem, tanquam pius cura-
turum: recedentibus tamen medicis, receſſit & vita a filio. Ille
autem fugiens captus, ita necatus eſt, *Cyrill. Hieroſo. Cathe. 6.*

## De Sectione per Serram, & Phthiriaſi. Cap 25.

1 *Serra ſecari pœna.*
2 *Phthiriaſi ſeu pediculari morbo qui deceſſerint.*

1 ALia mortis † pœna, ſerra ſecari, ligni in modum. Scribit e-
nim Diuus Paulus *ad Hebræ. cap. 11.* ex fidelibus legem Dei
ſeruantibus, alios ſectos. Et Diuus Athanaſius *in Quæſtio. q. 106.*
refert Eſaiam Prophetam ſerra lignea morte affectum, & diui-
ſum per Manaſſem regem. Et Cyrillus Hieroſolymitanus *Ca-*
*thec. 2.* idipſum notat. Talem pœnam in reos ſtatuiſſe Caligu-
lam, auctor Suetonius Tranquillus *in Calig. cap. 27.* atque ſerra
2 medios diſſecuiſſe. ¶ Phthiriaſis † ſupplicium adhuc a Deo im-
poſitum Herodi fuit, quod ſibi vſurparet gloriam ſibi debitam,
vermibuſque conſumtus animam efflauit, *Actorum 12.* Ferunt
phthiriaſi, ſeu morbo hoc vermium ſeu pediculorum ex anti-
quiſſimis periiſſe Acaſtum Peliæ filium. Ex poſterioribus Alc-
manem cantilenarum artificem, Pherecidem rerum diuinarum
ſcriptorem, Caliſthenem Olynthium, dum carceris cuſtodia teneretur: præterea Mutium Iuriſconſultum, Syllam Dictatorem, *Plutarch. in vita Syllæ, de Pherec. Diogenes, Laert. in 1.* Democritum, *Pheuclinus 1. de verb. mirif.* Theodericum regem Wandalorum poſt ſuſceptam Arianorum hæreſim, *Gagui. 1. libr. dum agit de Gotthor. bello.* Refert Diodorus Siculus *libr. 4. cap. 3.* in Æthiopia Acridophagos deſerto conterminos locuſtis deſuper volantibus venatis paſci, & appropinquante ſenecta, pediculos alatos viſu varios, ſpecie horridos, ac turpes in corpore naſci, qui ventrem primo, tum pectus, deinde totum corpus paulo tempore exedunt: & Democritum pediculis exeſum tradit Antonius, lib. 3. de vita ſua.

## De Abſorbitione a terra. Cap. 26.

1 *Abſorpti a terra.*
2 *Sepeliebantur viuæ Veſtales impudicæ.*

POena † mortis horribilis inuenitur a Deo contra murmu- 1
rantes & ſeditioſos factionis Choræ, Datani, & Abironis, ob
quam iuſſit Deus terra viuos abſorberi, *Numero. 16. Deuter. 11.*
Ferunt Amphiaraum Thebanum vatem ſeu diuinum, pugnan-
tem in bello Troiano, vna cum curru terræ hiatu deuoratum vi-
uum, *Statius.* Marcus quoque Curtius nobilis, cum terra hiatu
deſediſſet, vt oraculo ſatisfaceret dæmonis, in pœnam & ad ex-
piationem, vt illis perſuadebatur, in ſpecum hiantem cum equo
ſe præcipitem dedit, terræque fiſſura coaleſcente deuoratus eſt.
¶ Proxime † imitatur hanc pœnam illa, quæ Veſtalibus in ince- 2
ſtu compertis imponebatur: vincta enim, quæ talis erat, *Dionyſ.*
*Halic. in 1. Pomp. Lætus, de ſacerdotiis in Veſtalib.* in Sandapila per
medium forum efferebatur ad portam Collinam, vbi tumulus
Veſtalium impudicarum inter muros, in quo parua cauerna e-
rat ſubterranea, ad quam ſcalis per foramen deſcēdebatur, quo-
ve demittebatur. Et poſtea terra iniecta foſſa opplebatur, vſque
ad operculum. Nos de hac pœna latius in inceſtu.

## Alia mortis ſupplicia extra ſacram paginam. Cap. 27.

1 *Veneno necare pœna quibus.*
2 *Culei pœna.*
3 *Diſcerptio membrorum in pœnam.*
4 *Decimatio hominum, pœna.*
5 *Attilii Reguli atrociſſimum ſupplicium.*
6 *Supplicium crudeliſſimum ex inuentione Mezentii.*
7 *Mactatio hominum in ſupplicium.*
8 *Seruitus pro pœna impoſita, & quibus.*
9 *Viatores ſeruorum in numero ſunt.*
10 *Sepultura priuari pro pœna habitum, & ſupplicio.*
*Cadauera punitorum relicta inſepulta quare, eod.*

INterdicta eſt † iure ciuili Romano pœna, qua quis veneno 1
necabatur, *l. aut damnum, 8. §. proinde, de pœn. in P.* Quanquam
& hac D. Ioannes Euangeliſta damnatus eſt a Domitiano, priuſ-
quam in inſulam Pathmon relegaretur. Antiquis potiſſimum
Græcis frequens, veluti & apud Athenienſes Socrates hac pœ-
na affectus, ebibito cum cicuta infecto poculo. ¶ Culeo † parri- 2
cidæ inſuebantur, vt tractatum late in crimine parricidii. ¶ Mē-
bratim, † vi aliquando & iuſſibus in contraria tendentibus, diſ- 3
cerpti ſunt pœna atroci homines, vt Metius Suffetius Albano-
rum dux, defectionis & proditionis reus damnatus. Is enim fla-
gris fœde laceratus, bigis admotis ad alteras ex brachiis, ad alte-
ras ex pedibus, loris longis reuinctus eſt: deinde aurigis in diuer-
ſa agentibus humi raptatus, moxque a nitentibus in contraria
diſcerptus eſt, vt auctor Dionyſius Halicarnaſ. *lib. 3. antiq. Roma.*
Plinius Nouocomenſis *lib. de vir. illuſt. in Tullo.* Alexander Ma-
cedo proceris in vnum curuatis arboribus, vtrique parti corpo-
ris partes adligabat, eaſque tanto concitatas impetu remitte-
bat, vt laniata corpora paſſim diſcerperentur, *Plut. in vita Ale-*
*xan.* Iuſtinianus tamen videtur prohibuiſſe hanc pœnam & re-
liquas, quibus articuli diſſoluuntur, quod membrorum diſſolu-
tio grauior cenſetur vtriuſque membri abſciſſione, *§. quia vero,*
*vt nulli iudi. lice. habe. loc. ſerua. in Auth. colla. 9. tit. 9.* Quæ tamen
conſtitutio pertinet ad pœnas leuiorum criminum potius, quā
ad exemplares & atrociorum criminum. ¶ Cum † multitudo 4
crimen capitale admiſiſſet, aliquando decimatio facta eſt: vt cru-
delis nimium Sylla Romanus, captis Athenis decimum quemq;
ciuē, vt ſors ferebat, trucidabat, teſte Pauſania *1. rer. Attic.* Cic. *pro*
*Cluētio, Statuerūt,* inquit, *maiores noſtri, vt ſi a multis eſſet flagitium*
*rei*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*rei militaris admiſſum, ſortitione in quoſdam animaduerteretur, vt*
*metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perueniret.* ¶ Supplicii a-
5 liud † nouum genus & crudele, quo vſi ſunt Pœni in Attilium
Regulum, qui eum in profundas tenebras claudebant, & diu
poſt vbi erat viſus ſol ardentiſſimus repente educebant, & ad-
uerſus ictus ſolis oppoſitum tenebant, deductis ac inſutis ſur-
ſum deorſumque palpebris, *Gell.lib.6.c.4. Cic.in Piſon. & in offi-*
*ciis.* Addit D. Auguſtinus *li.1.de ciuit.Dei,c.15.* & Valer. Maximus
*lib.9.c.2.* incluſum anguſto ligno ſeu dolio vel armario, vbi ſtare
cogeretur, clauis acutiſſimis vndique confixo, vt ſe in nullam e-
ius partem ſine pœnis atrociſſimis inclinaret, & ita eum vigilan-
6 do peremiſſe. ¶ Aliud † crudele Mezentii inuentum ſupplici-
um, apud Virgilium relatum *lib.7 Æneid.*

*Mortua quinetiam iungebat corpora viuis,*
*Componens manibusq; manus, atq; oribus ora.*
*(Tormenti genus) & ſanie taboq; fluentes*
*Complexu in miſero, longa ſic morte necabat.*

7 ¶ Aliud † exemplare, nimiæque crudelitatis, mactatio. Sic Octa-
uius Cæſar, *Sueto.in Octauio,c.15.* capta ciuitate Peruſia, quæ e-
rat partium Antonii, trecentos ex dediticiis electos vtriuſque
ordinis, ad aram Iulio ſtructam, idibus Martiis hoſtiarum more
8 mactauit, in pœnam defectionis. ¶ Seruitus † in pœnam quoq;
infligi ſolita. Seruitutis pœna a delicto ſumſit exordium, impo-
ſita a Noacho: euigilans enim a vino, cum didiciſſet quæ fecerat
ei filius ſuus minor, ait, *Maledictus puer Chanaam, ſeruus ſeruo-*
*rum erit fratribus ſuis, Geneſ.c.9.can.ſexto die,35.diſt. Benedictus ſit*
*Dominus Deus Sem, & Chanaam ſeruus eius.* Fiunt quidam iure
ciuili ſerui pœnæ, in quam ob crimen damnantur, veluti in me-
tallum & in opus metalli damnati, *Marti.in l.quidam,17.de pœn.*
*in P.l.aut damnum, §.eſt pœna.eod.l.in metallum, C.de bon.proſcrip.*
*§.pœna,quib.mod.ius patr.pot.ſol.* In pœnam etiam priuantur inge-
nuitate, qui ad pretium participandum ſe venundari paſſi ſunt, §.
*ſerui autem, de iure perſo.l.& ſeruorum, §.1.& l.homo liber, de ſta.*
*homi.lib.1.P.Hermogen.l.pactio,40.de liber.cau.lib.40.P.tit.12.* In-
digni habiti libertate, qui tanto bono & inæſtimabili *l.libertas,*
*de reg.iur.* abuſi erant. Sicuti & in reliquis priuilegium meretur
amittere, qui ſibi conceſſa abutitur poteſtate *cap.priuilegium,11.*
*q.3.* Neque hic minori 25. annis competit in integrum reſtitu-
tio: ſi maior tamen ſit 20. annorum *l.ſi ex cauſſa,10.§.Papinianus,*
9 *de minor.25.an.in P.* ¶ Sic Romani, † Annibale & Pœnis ſupera-
tis, in Italia Brutios, qui ad Annibalem ante deſciuerant, igno-
miniæ cauſſa non milites ſcribi, nec pro ſociis haberi, ſed magi-
ſtratibus in prouincias euntibus parere & præminiſtrare ſeruo-
rum vice decreuerunt. Idem & aduerſus Picentos & Leucanios
obſeruatum eſt, viatorumque & ſeruorum vice habiti ſunt, vt
10 ſcribunt Strabo *lib.5.* & Aul. Gellius *li.10.c.3.* ¶ Pœnæ † etiam lo-
co habitum, ſepultura poſt mortem priuari, vt Romanorum le-
gibus ſæpe cautum reperitur: veluti illa, *Parentes in calamitati-*
*bus relinquentes, inſepulti abiiciantur: homicidæ inſepulti abiician-*
*tur.* Deus in Prophetam contra præceptum ei datum reuerten-
tem & manducantem ſtatuit, quod non inferretur eius cadauer
in ſepulcrum patrum eius, *3.Reg.13.* Et in more fuit, vt ait D. Am-
broſius *in pſal.118.ſermo.20.* quibuſdam gentibus, vt facinoroſo-
rum corpora non quidem in totum ſepultura priuarent, ſed ab-
ſciſſo capite reliqui corporis truncum ſepelirent. Ea nimirum
ratione, quod iuſtum ſit vt qui turpi, vel ſceleſto reatu belluinæ
obſcœnitatis illuuiem vel beſtialis immanitatis horrorem com-
miſiſſe detecti ſunt, tanquam ii qui propoſito humanæ mode-
rationis exciderint, formam quoque humanæ conditionis iu-
beantur exuere. Et qui ſapientiæ non potuerunt tenere ratio-
nem, etiam poſt mortem ſapientiæ arce, quod eſt caput fraudati
ſine decore ſuo ſepeliantur. Et caput ita præcipua pars eſt in ſe-
pultura, quæ religioſum locum facit, *l.cum in diuerſis, de relig.&*
*ſumt.fun.in P.* Pœnæ coniuratorum Germaniæ Veſpaſianus ad-
dendum cenſuit, vt inſepulti proiicerentur, *Sueto.in Veſpaſ.ca.2.*

## De Pœna diuina alterius ſeculi. Cap. 28.

1 *Improbi cur in hoc ſeculo pœnis, vel boni felicitate non donentur a Deo.*
2 *Pœnæ diuinæ alterius ſeculi duplicis generis, temporales, & æternæ.*
3 *Mortis æternæ pœna quibus indicta.*
4 *Æternarum pœnarum gradus & diuerſitates.*

1 NOn † ſemper Deus punit in hoc ſeculo delinquentes, quē-
admodum in ipſo non ſemper retribuit plene piis & pro-
bis hominibus: illis enim pœna huius ſeculi ſatis grauis non eſt,
& adhiberetur interdum perperam, cum videat morbos eorum
immedicabiles, nec ad meliorem frugem conuerti poſſe. Ali-
quando etiam & quædam bona fecerunt, in quibus vel non ex
animo verſati ſunt, vel poſtea voluntarie & ſponte ab optime
cœpto deſtiterunt, pro quibus & Deus, qui hos æterna vita indi-
gnos ſcit, temporali quadam felicitate & retributione donat. Ita
enim Deus bonus & iuſtus eſt, vt mala impunita nunquam vel
benefacta irremunerata relinquat. Vnde dictum de improbis,
qui boni quippiam aliquando fecerunt, recepiſſe iam mercedē
ſuam, *Matth 6.& c.cauendum,de pœn.diſt.4.* At pii contra vix ple-
no hauſtu vnquam iſtius ſeculi bonis ſatiantur, nec ſine quoti-
dianis admonitionibus & concertationibus & flagellationibus
exigunt dies. Cum enim in multis offendamus omnes, nec vllus
mortalis natura a peccato mundus ſit, Deus optimus maximuſ-
que, quos amat, admonet, caſtigat, vt pater qui filios cariſſimos
habet: ne voluptatibus iſtius vmbratilis & fugitiui mancipii;
mundi inquam, dolis ineſcati, æterna amittant. Punit eos in hoc
ſeculo, vt puros poſſit remunerare, *de his omnibus vide c.pium*
*eſt.ca.ſi quando.ca.cauendum,& c.quid ergo,de pœn.diſt.4.* Tota
fere vita noſtra pœnalis eſt, vt docet D. Auguſtinus *lib.21.de ciuit.*
*Dei.c.14.* Suntque pœnæ temporales in hoc ſeculo, & poſt mor-
tem ad emendationem, quas purgatorias idem Auguſtinus di-
cit, iis videlicet qui coerciti corriguntur, *idem, 12.c.13.* alias au-
tem eſſe ſempiternas & ad condemnationem æternas. ¶ Itaque
in alio ſeculo † Deus infert pœnas duplicis generis, ratione ad- 2
miſſorum delictorum. Nam quædam elui poſſunt, & pœna me-
liores quidam delinquentes fiunt: quædam autem immedica-
bilia ſunt. Atque vt in hoc ſeculo criminibus, quibus mederi po-
teſt, aliud quam extremum mortis infertur ſupplicium, quo pur-
gari poſſit reatus, & melior fieri delinquens: iis autem, quibus
ſpes correctionis & veniæ non eſt, mors pœna eſt: ſic in alio ſe-
culo animam, quæ delicta expiabilia commiſit, alia quam mor-
tis æternæ pœna emundari par eſt. Eam autem, quæ immedica-
bilia commiſit ſcelera, æterno ſupplicio damnādam accepimus
& credimus. Oportet enim neceſſario & ratione ſuadēte ita fie-
ri. Homo quippe conſtat corpore & anima: hicq; morte natura-
li ſoluitur in corpus & animam, & hoc mors eſt: hic aliquando
in anaſtaſi & reſurrectione generali omnibus, redibit cōiuncto
corpore & anima integer, vt vel vitā æternā cum corpore & ani-
ma, vel æternam mortē recipiat. In hoc ſeculo delinquens præ-
cipue corpore plectitur, vel remuneratur: in tēporali, poſt mor-
tem ante reſurrectionē, ſupplicio, corpus in terra quieſcit & nō
patitur: anima autē ſola patitur, vel gaudet. Poſt reſurrectionem
iſta duo ſimul anima & corpus vel patientur, vel gaudebūt æter-
num. Spes ſalutis & gloriæ ppetuæ eſt, temporali pœna deputati
animā expiandam: q̄ aliquibus grauior, aliquib. minor eſt, prout
peccatū expiabile, graue vel minus. Super fundamentū enim fi-
dei, q̄ accepimus, ſuperædificat quilibet opera, quæ probandā
ſunt, nū legitima. Ædificamus ligna grauiora, mortalia peccata,
q̄ diutius vt conſumantur torquent delinquentes: itē fœnū le-
uiora: & ſtipulam leuiſſima: vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis
probabit. Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, merce-
dem accipiet: ſi cuius opus arſerit, detrimentū patietur, vt ait iiſ-
dem verbis D. Paulus *1.ad Cor.c.3.explicatur, in c.vnum orarium,*
*§.alias autem, 25.diſt. Ipſe tamen,* inquit, *ſaluus erit, ſic tamen quaſi*
*per ignem.* Ignis autē ille purgat aliena opera a fundamento fidei,
non ſecus ac ignis elemētatus feces ab auro: ſicuti igne ſplendi-
dius mundūq; redditur ſic anima deterſis ſordibus igne illo pur-
ganti eluta, & ſplendida a maculis libera vitā obtinet æternam,
quā peccatis polluta obtinere non poterat. Et purgatione meri-
to paſſionis & redemtionis Domini noſtri Ieſu Chriſti facta, e-
ius regno fruitur. Leuis quidem illa temporalis alterius ſeculi
pœna, habita ratione æternæ dānationis: verū collata cum huius
vitæ corporalis ſuppliciis, quæ hic maior & ſumma eſt, longe o-
mni alterius ſeculi minori pœna leuior eſt, *can. qui in aliud, 25.*
*diſt.* Vt anima enim ſenſibilior ſua natura, & nobilior corpore:
ſic punitio animæ intenſior extenſione qualibet afflictionis &
doloris corporei. Nec hoc eget maiore cōprobatione, cū nemo
adhuc viuens hic nō experiatur, plus afficere animi afflictionē &
triſtitiam, quā quemlibet corporis dolorem: & maiorem pœnā
eſſe mortis metum, quam mortē ipſam. ¶ Pœna † mortis æter- 3
næ ſtatuta eſt in peccato perſeuerantibus nec reſipiſcentibus, fi-
deiq; tranſgreſſoribus, *can.ſcimus,12.q.1.* Æquumq; viſum, vt qui
nunq̄ in hac vita voluerūt peccato carere, nunq̄ æterno careant

ſupplicio, *c. voluiſſent.* §. *præter etiam, de pœn. diſt. 1.* ¶ Supplicium
4 illud † æternum varios gradus habet quoque pœnarum: ignem æternum paratum diabolo angeliſque eius, *D. Matth. 25. Mar. 3.* id eſt, adminiſtris, & qui facti ſunt peccando ſimiles ignis ille inexſtinguibilis eſt. *Eſaiæ, c. fin. de pœn. diſt. 7.* Eſt ſtagnum ardens, *Eccle. 7.* vbi cruciabatur impius diues, *Lucæ 15.* Supplicium aliud, fletus & ſtridor dentium, *Matth. 18.* quia tranſibunt rei ab aquis niuium ad calorem nimium, *Iob, 14.* Ibi, *horror ſempiternus, Job, ibid. nullusque ordo.* Alia pœna, planctus ſine conſolatione perpetuus, *Apocalyp. 1. Sapien. 5.* vermis ſeu conſcientiæ immortale contra ſe teſtimonium, *Eſaiæ. c. fin. cap. quoniam, 19. diſt.* Multæ aliæ, de quibus dicere ſuperſedebo, & theologis explicandas relinquo. Dicam tantum principibus, regibus, monarchis, pontificibus, & ceteris potentioribus, qui minime poſſunt ab inferioribus delinquentes puniri, quique ſibi omnia licere putant, quia a maiore homine non ſe reprehendendos, vel plectendos arbitrantur, has pœnas, hoc diuinum iudicium timere eos oportere. Eſt enim Deus iudex omnium, viuorum & mortuorum, qui ſeuerius iudicium in potentes exerceat, quos præ aliis honorauerit. Neque qui effugerint manus ſpiculatorum, vel iuſti humani iudicii cenſuram corruperint vel fefellerint, ſupremum diuinum Dei thronum effugere poterunt, in quo potentes fortiora tormenta patientur. Et,

*Plus valet humanis viribus ira Dei, Ouid. 5. Triſti.*

De his pœnis & Virgilius *lib. 6. Æneid. verſ. 735.* cecinit:

*Quin & ſupremo cum lumine vita reliquit;*
*Non tamen omne malum miſeris, nec funditus omnes*
*Corporeæ excedunt peſtes penitusq; neceſſe eſt*
*Multa diu concreta modis inoleſcere miris.*
*Ergo exercentur pœnis, veterumq; malorum*
*Supplicia expendunt: aliæ panduntur inanes*
*Suſpenſæ ad ventos: aliis ſub gurgite vaſto*
*Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.*

Plures alias refert Plutarchus in oratione conſolatoria ad Apollonium perpulcra de iſtis pœnis: & Plato decimo dialogo de repub. cum Heri reſurgentis refert narrationes.

## De Pœnis in iure pontificio vſurpatis, & de infamia. Cap. 29.

Tit. de pœnis in voluminib. iuris pontificii. De infamia, lib. 2. C. tit. 12. lib. 3. P. tit. 2.

1 *Pœnæ iure pontificio vſurpatæ quæ.*
2 *Fama quid. Bona & mala num. 3. famæ imago & vis eodem.*
4 *Fama bona quædam felicitas.*
5 *Exiſtimatio bona fama eſt.*
*Infamia quid, eod.*
6 *Infamia pœna quid.*
7 *Infamiæ ſpecies iuris ciuilis & pontificii, alia facti.*
8 *Infamia irrogata iure pontificio pro quibus, & a quib. aboleatur.*
9 *Infames iure ciuili qui fiant & dicantur.*
10 *Infamia facti quid, & quando committatur.*
11 *Infamiæ pœnæ effectus, & a quibus arceat reum.*
12 *Infamia quomodo euitetur & tollatur. & num. 3.*
13 *Purgatio canonica non admittitur in crimine probato.*

1 IVre † pontificio impoſitæ ſunt pœnæ partim a iure diuino, partim a iure ciuili Romanorum, & aliarum gentium tranſlatæ, partim illi peculiares. Vtitur namque ſpiritualibus, increpatione, ſeu reprehenſione, vel monitione, *de hac dictum ſupra*, infamia, depoſitione, degradatione, ſeu exauctoratione, cenſura ſeu excommunicatione, interdicto ſuſpenſione, anathemate: & aliis quoque corporalibus, abſtinentia, ieiunio, verberibus, publicatione bonorū, detruſione in monaſterium, interdictione, loci peregrinatione, carcere perpetuo. Ex quibus quædam iam tractata ſunt, quędam ſuperſunt explicanda. Et proinde quę iam dicta ſunt prætermittam, reliqua interpretor. Et primum agemus de infamia. Non poſſumus autem ſatis commode infamiam deſcribere, vel definire, niſi prius quid fama ſit intelligamus.
2 ¶ Fama † itaque eſt frequens & vulgaris de aliqua re ſermo: ſic
3 enim φήμη, vnde fama, a verbo φημὶ, dico trahit originem. ¶ Et † cum ſermones aliqua de re in bonam & malam proferri poſſint partem, & ad laudem & ignominiam, conſequens eſt recte famam & bonam & malam conſtituere. Sic pro mala vſurpat abſolute Virgilius *4. Æneid.*

*Fama malum, quo non aliud velocius vllum.*
*Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo.*
*Parua metu primo, mox ſeſe attollit in auras,*
*Ingrediturq; ſolo, & caput inter nubila condit.*
*Illam terra parens ira irritata Deorum,*
*Extremam (vt perhibent) Cœo Enceladoq; ſororem*
*Progenuit pedibus celerem, & pernicibus alis:*
*Monſtrum horrendum, ingens cui quot ſunt corpore plumæ,*
*Tot vigiles oculi ſubter, mirabile dictu,*
*Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſurrigit auris, &c.*

Ouidius his paria quoque ſcribit *12. Metamor.*

*Fama tenet, ſummaq; domum ſibi legit in arce,*
*Innumeroſq; aditus, ac mille foramina tectis*
*Addidit, & nullis incluſit limina portis.*
*Nocte dieq; patet, tota eſt ex ære ſonanti,*
*Tota fremit, voceſq; refert, iteratq; quod audit:*
*Nulla quies intus, nullaq; ſilentia parte:*
*Nec tamen eſt clamor, ſed paruæ murmura vocis &c.*

Æſchines *con. Timarchum* ſcribit, famam efferre in vulgus priuata cuiuſq; ſtudia multa quoq; diuinare, quæ futura ſunt. Et inde ſæpe in Iliade Homerum dixiſſe, antequam quod futurum erat eueniret, famam ad caſtra veniſſe. Et Heſiodum Deam dixiſſe *in fine Operum & dierum:*

*Non moritur*, inquit *fama omnino, quam turba virorum*
*Plurima diſpergit, quoniam ipſa eſt vna Dearum.*

Et Cicero *circa finem Topico. Fama vulgi, multitudinis eſt quoddam teſtimonium.* Sic Demoſthenes *in procemio, exordio. 21. alias 51. Actiones*, inquit, *in eiuſdem poteſtate ſunt, a quo geruntur: at exiſtimationi, quæ actiones ſequitur, nemo tantus eſt qui dominetur, ſed qualemcunq; tandem res geſtæ excitarunt, talis de auctoribus fama ſpargitur a populo.* ¶ Prouidendum † igitur & danda opera, vt eæ 4
iuſtæ videantur. Hanc itaque famam bonam ſpargi, ſuaue quippiam, & felicitas quædam videtur hominibus: ſicut & Pindaro, dum ait *in Olymp.*

εἰ δ' ὄλβιος ὃν
φᾶμαι κ[illegible] ἔχοντ' ἀγαθαί, id eſt,
*Felix, quem bona detinet fama.*

Et rurſum *Pind. Pith. o. hym 4.*

αὔξεται κ[illegible] μοῦσα δι' ἀγγελίας
ὀρθᾶς. id eſt, *Creſcit & Muſa bona fama.*

Atq; non contemnendam bonam famam, & malam eſſe omni ſtudio repellendam, docebimus, Deo fauente, in titulo de iniuriis. Falſa quippe ſæpe eſt & mala fama bonorum, quam Deus permittit ſuſcitari in humiliationem eorundem, *can. omnes 6. q. 1.* vt in timore operentur ſuam ſalutem. ¶ Bonam † famam exi- 5
ſtimationem vocant Iuriſconſulti *l. pen.* §. *1. de var. & extraor. cognit.* eaque dicitur dignitatis illæſæ ſtatus, legibus & moribus comprobatus: quia auctoritate legum ex delicto aliquo aut conſumitur aut minuitur. Sic contra, infamia erit diminutio eius æſtimationis & ſtatus. Et in ſumma quot erunt diminutiones tot erunt infamiæ ſpecies. ¶ Idcirco contra † mala fama, quæ vt ple- 6
runq; infamia dicitur, pœnæ loco eſt: cum nomen bonum, & fama bona alicuius notatur. Vnde omnes dignitatum gradus infamibus vtroque iure prohibentur, *l. 1. de infamib. li. 10. C. tit. 57. Neque enim*, inquit lex, *l. 2. de dignit. lib. 12. C. tit. 1. famoſis & notatis & quos ſcelus, aut vitæ turpitudo inquinat, & quos infamia ab honeſtorum cœtu ſegregat, dignitatis portæ patebunt.* Ex quibus verbis etiam colliguntur infamiæ variæ ſpecies: alia enim iuris alia facti eſt.
¶ Iuris † vel pontificii, vel ciuilis: quando ab aliquo vel vtroque 7
horum iure ob aliquod factum, vel ſcelus inuritur nota, vel ipſo facto vel interueniente iudicis ſententia, ſeu ex genere delicti, vel pœnæ, vel modo, quo condemnatio fit, *c. infames, § porro, 3. q. 7. vbi gl. notabilis, quæ hæc diſtinguit & probat.* ¶ Infamia † in iure 8
pontificio irrogatur, vel ex peccato mortali *c. illi qui. 6. queſt. 1.* vel ex ſententia excommunicationis *c. infames, & can. illi qui 6. q. 1.* Infamia peccati quo ad culpam aboletur ſacerdotali abſolutione, dum eccleſiæ ſatisfit, *d. can. illi qui, can. præceptum, 32. q. 5. ca. ſi duo, 35. q. 6.* Et ſi clericus maiori infamia notetur, aboletur a ſummo pontifice, *c. Euphemium, §. 1. 2. q. 3.* Infames ſic declarantur iure pontificio, *can. conſtituimus, 3. q. 6. c. infames 6. q. 1.* homicidæ malefici, fures, ſacrilegi, raptores, adulteri, inceſtuoſi, venefici, periuri, falſi teſtes & alii iis ſimiles, & ideo repulſi merito a teſtimonio dicendo: vt præuaricatores fidei Chriſtianæ hæretici, *c. arceri, 2. q. 7.* hiſtriones, *can. definimus, 4. q. 1.* eccleſiaſticorum bonorum direptores, *can. attendendum, 17. q. 4.* ſuperiores calumniantes *c. conſanguineorum 3. q. 4.* ſimoniacus *c. ſane 15. q. 3 & l. ſi quenquam, C. de epiſc. & cler.* ſua culpa irregularis factus clericus.

ctus *can. omnes. 6. qu. 1.* qui aduerſus ſacerdotes ex malitia arman-
9 tur, *can. ſacerdotes 6. q. 1.* ¶ Iure † ciuili non omnis damnatus ob
crimen, fit infamis, ſed ſi damnetur crimine publico, vel priuati
furti, vi bonorum raptorũ; iniuriarũ, vt ait Marcellus, *l. infamem
7. de pub. iud. lib. 48. P. tit. 1.* & ſic de ſimilibu priuatis, quãdo ci-
uilis actio ex his prodita infamat, vt in proxime dictis: & de dolo
damnati, & tutelæ, mandati, depoſiti, directæ nõ contrariæ, pro
ſocio *§. ex quibuſdam, de pœna. teme. litig. lib. 4. Inſtit. tit. 16. l. 1. §.
qui noti, de his qui not. infam. P. l. 4. § fin. l. 5. & 6 eod. tit. l. 5 8. 10.
22. C. eod. tit.* Iure ciuili multis ex cauſſis, vel delicto, vel ſenten-
tia quoque quis notatur infamia, prout late explicant Iulianus,
Caius, Vlpianus, Paulus, & alii Iuriſconſulti & Cæſares propriis
titulis, *l. 1. 2. 3. 4. & tot tit. de his qui not. inf. lib 3. P. tit. 2. & tot. tit.
ex quibus cauſ. infa. irrog. C. lib. 2. tit. 12.* Sunt autem aliquando
quidem infames vtroq; iure, pontificio, & ciuili: aliquando al-
tero tantũ: nam non omnis qui infamis iure ciuili eſt, iure pon-
tificio talis eſt, *c. Euphemium. & c. proximo, 2. q. 3. in nubente ſecun-
do viro, c. pen. de ſec. nup. l. 1. C. eod.* Regulari tamen iure, qui iure
ciuili infamis dicitur, & iure pontificio infamis eſt, *c. omnes vero,
6. q. 1.* vt non poſſit ad ordines ſacros conſcendere. Infamia fa-
cti, quando iuris diſpoſitione quidem expreſſe quis nõ notatur,
ſed tantum per ſe probrum, & ignominiam inter bonos & gra-
ues habet, fitque famæ aggrauatio, *vt in l. 1. de obſeq. a liber. vel li.
pa. præſtãd. in P.* Turpitudo vitæ, infamia eius eſt, *l. 2. de dignita.
lib. 12. C.* & probra quædam natura ſunt turpia, vtputa furtum,
adulteriũ: quædam tantũ opprobria, & turpia ciuiliter, & quaſi
more ciuitatis improbata, vt damnari tutelæ, teſte Vlpiano, *leg.
10 probrum 32. de verb. ſign. in P.* ¶ Eſt † infamia facti, a patre ſerio fi-
lium malo nomine notari, etſi iuris non ſit *l. ea quæ 13. ex quibus
cauſ. infam. irrog. lib. 2. C. tit. 12.* Idem in his quæ iudex interlo-
quendo cauſſa non cognita, in litigantes infamantia infert, ſta-
tuendum eſt, *l. verbum 17. & l. interlocutio, 10 ex quib. cauſ. infa.
irrog. C.* Dicta enim cenſentur a iudice, vt ad meliorem frugem
redeant, non infamiæ cauſſa. Eſt & facti ignominia, celare ſcor-
11 tum, vt eo abutatur celans, *l. verum eſt 40. de fur. P.* ¶ † Infamia,
quæ oritur a crimine & turpitudine, pœnam habet: primum, vt
infamis non ferat teſtimonium, *c. conſt. tuimus 3. quæ. 9. ca. infa-
mes 6. q. 1. c. licet, c. 47. de teſtib. libr. 2. Decre. tit. 20. l. 3. § lege Iu-
lia, de teſtib. in P.* 2. non ſit aduocatus, nec procurator, ſecundum
ius pontificium *c. infames, 3. quæ. 7. l. 1. §. ait prætor, de poſtul. in P.*
Procuratores tamen eſſe iure ciuili poſſunt, quia vile hoc iure
putatur eſſe munus *§ ſi. de exce. ap. Iuſtin.* Item infamis ab omni
dignitate arcetur generaliter *l. ne quis, de decurio, lib. 10. C. l. 1. de
infam. eo. lib. l. nec famoſis de dignita. lib. 12. C. l. cum prætor, de iu-
dic. in P. 1. ad l. Iul. de vi pub. P. c. infamibus, de reg. iur. in 6. c. licet,
c. 47. de teſtib. c. inter dilectos, de exceſſ. præla.* 3. arbitri eſſe ne-
queunt infames, *l. Pedius, de arbitr.* 4. a locis in quibus princeps
degit, infames eiiciuntur, *l. 2. § ignominia de iis qui not. infam. P.
l. 3. de re milit. lib. 12. C* Repelluntur ab ordinibus eccleſiaſticis,
*c. omnipotens de accuſat. c. tantis 81. diſt.* 6. Promoti etiam ſuſpen-
duntur, ſecundum Innocentium, *in c. fin. de poſtu. prælat. c. ſuper
eod. de electio. c. niſi cum pridem, de renuntiat.* 7. Infamis heres in-
ſtitutus & turpis perſona, facit vt frater, qui alioquin repellitur
ab inofficioſi querela contra teſtamentum fratris, poſſit admitti,
*l. fratris. C. de inoffic. teſt. l. 1. D. eod. tit.* 8. Sicuti miles damnatus
de crimine quod infamiam habet, ſoluitur ſacramento militari,
ita & ab eccleſiaſtico, *l. 2. §. miles & ibi glo. in verb. ſacramento, de
iis qui not. infam. P.* Atque Panormitanus exiſtimat collationem
beneficii factam infami ipſo iure nullam eſſe: quanquam ſuper-
uenientem infamiam dicat non priuare beneficio, etſi priuet di-
gnitate tituli: quia non inuenerit textum hanc pœnam ſtatuen-
tem, *Panor. in c. querelam, de iureiu. Ang. Claua. in ſumma, in ver.
12 infamia, §. ſed nunquid, de infam.* ¶ Ceterum † obſeruandum eſt,
infamiam euitari & tolli poſſe. Euitatur, ſi is qui iudicio arceſſa-
tur, ex quo condemnatio infamiam irroget, litem componat an-
te ſententiam, *arg. l. ſi reus, de procur. in P.* vel ſi litem perſequatur
procuratorio nomine, eo nomine procuratorio condemnatus,
infamis non eſt ex ſententia *l. furti, §. ſi quis alieno, & ibi gloſſ. &
Bart. & Doct. de iis qui not. inf. P.* vel ſi a iudicio prouocauerit, *d.
l. furti, § ſi quis.* Facti infamia aboletur contrario facto, *Pan in c.
ex diligenti, de ſimonia.* Item ſi derogat princeps, vel remittat: tũc
enim etſi infamia ſit, tamen effectu caret, *idem in c. cum te, de ſen.
& re iud.* Poſſe etiam id fieri per ſe natum traditur, *gl. in ca omnes
6. q. 1. per c. ſi § notandum. in 2. quæſt. 3. & per l. 1. §. de qua, de po-
ſtul. in P.* Vnde iudex ſæpe vtitur hac clauſula, ſine nota infamiæ,
dum condemnat. ¶ Aboletur † & pœna vel effectus infamiæ fa- 13
cti, purgatione iurata præſtita *c. de crimine 15. q. 5. c. 1. & 3. 5. 6. &
fere tot. tit. de pur. cano. lib. 5. Decret. tit. 34. ca. 1. 2. q. 1. ca. omnes, 6.
q. 1* quando ſcilicet fama probationem veram ſeu certã non ha-
bet, ſed rumor vagus incertuſue circumfertur, quempiam hoc
vel illud crimen admiſiſſe ſuſpicionibus & præſumtionib. qui-
buſdam excitatus, concurrente in contrarium de eius bonitate
& fide præſumtione: alioquin ſi crimen, de quo quis infamatur,
haberet probationem non admitteretur purgatio, *ca. ſi quis, de
purga. cano.* Infamia a iure canonico irrogata ob peccatum mor-
tale tollitur per pœnitentiam impletam, *c. illi qui 6. q. 1.* Verum
apud bonos & graues, & in negotiis ſeriis non ſufficit nunc non
eſſe infamem, ſed requiritur aliquando non fuiſſe infamem, vt ſi
de accuſando alio, vel de probatione eius, qui infamis fuit, aga-
tur: ſi modo ex criminibus damnatus fuerit, *c. qui crimen, 6 q. 1.
vide ibi diſt. gloſſa, & glo. in c. omnes in 1. 6. q. 1.* Infamia excommu-
nicationis tollitur per abſolutionem, *can. 1. 4. q. 1.* Infamia au-
tem ex impoſitione pœnæ orta tollitur poſt ſubitam impletam
pœnam, vt in relegationis impleto tempore ſtatuitur, *leg. 3. 4. 6.
C. ex quibus cauſ. infa. irrog. l. 1. & 2. de iis qui in exſil. dati ſunt. libr.
10. C. tit. 59. Papin. l. falſi nominis 13. § 1. ad leg. Corn de falſ. lib. 48.
P. tit. 10.* Quod Paulus, *l. ordine decurionum 15. ad municip. lib. 50.
P. tit. 1.* exiſtimat verum ſi damnatus delinquens ſit durioribus
pœnis quam legitimis: non autem ſi minoribus, quã leges per-
mittant, ſubiiciatur, quo caſu putat infamiam etiam præſtita fa-
ma, vt minori, non aboleri. Vnde & iſti tanquam famoſi a digni-
tatibus in poſterum repelluntur, illi minime, vt reſpondit etiam
Iulianus. *in l. interdum 58 §. 1. C. de furt. P.* Papinianus, *l. ad tem-
pus 5. de decur. lib. 50. P. tit. 2.* & Marcellus, *l. in ſeruorum 10. §. fin.
de pœn. in P.* quia non plene eluitur minoribus delicto pœnis ſce-
lus, nec in poteſtate iudicis reſidet iuris auctoritas, *dict. leg. ordi-
ne.* & minoribus impoſitis videtur de infamia tranſactum, *Vl-
pianus, l. quid ergo 13 §. pœnæ, de iis qui not. infa. P.* Proinde indul-
gentia principis quos liberat a pœna, notat infamia, ad quam di-
luendam propria indulgentiæ natura non extenditur, *l. fin. de ge-
ne. abolit. C.* Sicuti etſi delicti condemnatio perpetuam habeat
infamiam, alia pœna temporalis impleta cum infamia impoſita
non eluit infamiam, *Arria. iuriſ. in l. qui cum vno 4. §. ad tempus,
de re milit. lib. 49. tit. 16.*

## De Depoſitione, Degradatione, ſeu Exauctoratione. Cap. 30.


1 *Depoſitio quid, & eius diuiſio. Et nu. 2.*
*Degradatio quid, & quomodo differat a depoſitione. & nu. 8.*
3 *Deponuntur a dignitate inutiles in ea exſiſtentes.*
4 *Depoſitionis pœna pro quibus criminibus imponenda.*
5 *Suſpenſio ab officio aut beneficio quid.*
6 *Depoſitus omnis non datur eccleſiæ ſeculari.*
7 *Deponi num poſſit ab officio vel ordine per epiſcopum, qui benefi-
cium habuit, vel ordinem a ſummo pontifice.*
8 *Degradatio quibus fiat ſolemnibus. Et qui poſſint degradare, &
& qui intereſſe degradationi debeant. Et num. 9.*
9 *Epiſcopi cauſſa a quibus, & a quot iudicibus epiſcopus & quomo-
do audienda.*
10 *Degradatio pro quibus criminibus fieri poſſit.*
11 *Exauctoratio in iure ciuili pro degradatione quomodo recepta.
Et inter milites quando cum ignominia.*
12 *Exauctorandi militem forma.*
13 *Cingulum militiæ, & dignitatis quid.*


SCandalum graue eſt † & dedecus eccleſiæ, habere incorrigi- 1
biles & ſceleſtos adminiſtros: vnde merito remouendi illinc
ſunt, *c. qualiter & quando, in 2. de accuſat. D. Lucæ 16. c.* vt a villi-
catione villicus iniquitatis in Euangelio. Dicimus depoſitio-
nem, huiuſmodi pœnam. Depoſitio eſt, ſeu exauctoratio, de di-
gnitate, gradu, vel ordine deturbatio, vel eorum priuatio. De-
gradationis nomen vulgo vſurpatum a gradu. Verumtamen de-
poſitio verbalis, proprie remotio eſt per ſententiam degradatio
realis, ſolemnis & cum exſecutione emancipatio curiæ ſeculari
factæ, ademto clericatu.

¶ Atq; † depoſitio duplex: alia ab officio ſeu beneficio ſimul, 2
*c. ſi de celebrat. miſſar. lib. 3 Decret. tit. 41.* vel ſeparatim, *c. 2. de pœn.
in 6. c. nouimus, de ver. ſign. Secul. tit. de accuſa. §. 2. verſ. vel dici po-
teſt, c. accedens. 50. diſt. in* & a dignitate, & alia ab ordine, quæ pro-
prie exauctoratio ſeu degradatio contra clericum in ſacris con-

ſtitutum, vt in c. pen. de purg. can. Depoſitio prior verbalis, eſt pri-
uatio vel ademtio beneficii, quæ a ſolo epiſcopo fieri poteſt: &
tamen non ſine crimine vel cauſſa: nam ſi quis nõ potuerit pro-
pter ſuperuenientem infi. mitatem officio vel beneficio per ſe
ſatisfacere, non eſt deponendus, ſed coadiutor ei dandus, can.
ſcripſit mihi, cum ſeq. 7. q. 1. ca. 1. 3. 4. & to. tit. de cleri. ægrot. lib. 3. De-
cret. tit. 6. Plura exempla depoſitorum epiſcoporum, & poſtea
reconciliatorum priſtinę eccleſiæ referuntur a Cyrillo in epiſto-
la ad Ioannem Antiochenum, quam refert in ſua Epitome Gra-
3 tianus cap. Ioannes Chryſoſtomus, 50. diſt. ¶ Deponitur † ab admi-
niſtratione beneficii, non a beneficio propter graue ſcandalum,
leproſus, cap. tua, de cleric. ægrot. abbates facti inutiles, qui probe
non exercent munus, amouentur penitus, can. ſi quis abbas, 18. q.
2. Sicuti & de iudicibus & adminiſtrantibus Rempub. reſcripſe-
runt Valentin. Theodoſ. Archad. CCC. l. 3. de offic præfect. præ-
tor. orien. & Illyr. lib. 1. C. tit. 29. Imo vero ipſe Imperator inutilis
a ſummo pontifice loco ſubmouetur, & alius ei ſubrogatur: vel
propter hęreſin, ſi incorrigibilis, ſi tyrannus, ſi fatuus periurus,
paganus, eccleſiæ perſecutor, vt in c. 2. de ſent. & re iud. in 6. ca. ve-
nerabilem, ca 34. de elect. lib. 1. Dec. tit. 6. c. alius 15. q. 6. Alexander
3. ſum. pont. c. at ſi clerici, c. 4. de iud. lib. 2. Decret. titul. 1. clericos
confeſſos in iure vel conuictos legitima probatione ob crimina
quæ merentur ſuſpenſionem vel depoſitionem, poſſe a proprio
epiſcopo, vel ſuſpendi a ſuis ordinibus, vel altaris miniſterio per-
petuo remoueri tradit. Et bene notat Panorm. in d. c. at ſi clerici.
depoſitionem eſſe remotionem perpetuam ab altaris miniſte-
4 rio. ¶ Grauiſſima † hæc quidem pœna, & idcirco non imponi-
tur, niſi pro caſibus a iure decretis, Domin. in §. de his 50. diſtinct. &
in c. 1. 35. diſtin. Decius, in d. c. at ſi clerici, aut pro delicto grauiori,
c. tua, de pœn. Pan. in c. fin. de celeb. miſſa. quod enorme dicũt: Lo-
cum etiam habet iure canonico dignitatis amiſſio, ca. ſuper eo, de
electio. c. ex tenore, de temp. ordi. item cinguli militaris priuatio, ca.
nullus. in 2. 11. q. 1. c. 2. de pœn. & remiſſ. Atque ideo Felinus, in ca.
qualiter, in 2. verſ. ad corrigendos, num. 25. de accuſatio. notat, poſt
antiquiores iuris pontificii interpretes, quod vbicunque iure
ciuili impoſita eſt pœna mortis pro aliquo delicto, in locũ ipſius
intelligatur ſubrogata depoſitio: niſi alia pœna imponatur ordi-
naria pro eo delicto, eodem iure pontificio. Bertachinus tracta.
de epiſco. 8. par. libr. 4. tit. de cauſſa mater. degrada. & Hoſtienſ. in
Sum. tit de accuſa. §. quis ſit effectus, verſi. tradunt, colligit caſus, in
quibus depoſitio fieri poteſt. ideo in illis recenſendis nõ immo-
5 rabor. ¶ Suſpenſio † ab officio & beneficio minor eſt, quam de-
poſitio, c. inter ſolicitudines, ca. 10. de purga. can. & depoſitio mi-
nor, quam priuatio participationis corporis & ſanguinis Domi-
ni. Nam ſi depoſitus ab officio celebrat, hac ſacroſancta partici-
patione, excommunicatione perpetua quamdiu vixerit priua-
tur, demto viatico ſub mortis tẽpus præbendo, ca accedens 50. di-
6 ſtinct. ¶ Hic notandum, † depoſitum clericum non fieri de foro
iudicis ſecularis, probat ca. cum non ab homine, de iudic. & c. at ſi cle-
rici, eo. tit. docet Ioan. Bernard. Diaz. in pract. crimina. canonici. ca.
27. Panorm. poſt Card. in cap cum non ab homine, de iud. Inno. in c. 1.
de homicid. in 6. & ideo ei non traditur puniendus ſemper, ſed
pœna canonica per iudices eccleſiaſticos punitur, videlicet de-
truſione in monaſterium, d. ca. inter ſolicitudines, in fine, de purga.
cano. vel alio. In quo differt a degradatis, qui veluti incorrigibi-
les, relinquuntur pœnæ ſeculari, omnibus priuilegiis clerico-
rum exuti, vt paulo poſt docebimus, Deo fauente. Et quamuis
videantur incorrigibiles qui deponuntur, tamen aliquantula eſt
ſpes reſipiſcentiæ. Et proinde antequam iudici ſeculari tradan-
tur, ſuis legibus puniendi, oportet eoſdem depoſitos, non ſe cor-
rigentes vel perſeuerantes in crimine, adhuc eccleſiaſtica medi-
cina reuocari ſi fieri poſſet ab epiſcopo, per excommunicatio-
nem, & deinde anathemate, quæ ſi depoſitus contemnat, & ita
in profundum malorum deciderit, tunc curiæ ſeculari relinqui-
tur. Celeſti. in c. cum non ab homine de iudic. Quinimo nec opus
eſt ſemper degradatione, vt clericus incorrigibilis poſſit com-
primi a iudice ſeculari, ſed ſufficeret declarari per eccleſiaſticum
iudicem, eſſe incorrigibilem, Ioan. And. Anton. & Aret. in d. ca.
7 cum non ab homine. ¶ Dubitatum † autem fuit aliquando, an
qui ordinatus eſt a ſummo pontifice, vel ab eo beneficium, ſeu
ſacerdotium conſecutus eſt, ob crimen poſſit a ſuo epiſcopo ab
his deponi. Placuitque tandem aliquibus, quod a beneficio poſ-
ſit: ab ordine, non poſſit, niſi per Papam, collecta. in ca. per tuas, de
maior. & obed. & ibi quoque Ioan. Andr. & Bal. Siculus autem Ab-
bas Panor. in dict. cap. per tuas & in ordine admittit per epiſco-
pum factam eius clerici depoſitionem, quod Felino placet, in d.
cap. per tuas. Vide deci. cape. Tholoſ. 292. & ibi Aufrer. cum reatus
omne priuilegium excludat, can. priuilegium, 12. quæ. 3. auth. qua
prouincia, vbi de cri. agi opo. C. ¶ Depoſitio † ſeu degradatio rea- 8
lis ſeu actualis eſt, quando poſt ſententiam verbalem, de qua ſu-
pra dictum eſt, inſignia ordinum ſolemniter detrahuntur. Vo-
cant hanc, depoſitionem ſolemnem iura. can. epiſcopus 11. q. 3. ca.
2. de pœn. in 6. Forma & ſolemnitas eſt, d. c. 2. vt coram iudice ſe-
culari, cui tradendus eſt degradandus, publice ſuperior qui de-
ponit tõdeat rei caput. 2. radat vitro, vel ferro loca capitis & ma-
nuum, in quibus vnctio facta eſt tempore ordinationis. 3. exuat
eum habitum ſeu veſtimentum clericale, & induat laicale, & ſic
iudici laico concedat puniendum. Qui & huic iudicio, quando
crimen hanc pœnam mereri videbitur, intereſſe debet, vt poſtea
ſtatim puniat, §. ſi tamen, de criminibus, & §. illud palam, vt cler.
apud prop. epiſ. & c. coll. 6. tit. 11. in Auth. Idcirco reus antea indu-
tus exhibetur veſtibus ſui ordinis, vt ſi presbyter ſacerdotalibus,
cum calice in manu, ac ſi celebrare vellet: diaconus, vt diaconus:
item ſubdiaconus & epiſcopus degradandus quilibet ſuo habi-
tu. Et poſtea ab extremo vſque ad nouiſſimũ gradum fit eorum
ademtio, ordine: vt presbytero primum adimatur calix, & dein-
ceps alia ordine retrogrado, quo ei data ſunt. Sic in epiſcopali-
bus ornamentis & aliorum ordinibus intelligi par eſt, d. can. epi-
ſcopus, 11. q. 3. ¶ Ceterum † ſolemnitatis quoque eſt, ne ſolus e- 9
piſcopus ſit, cum hæc degradatio fit, ſed ſi abbas abbatia depo-
nendus, adiungantur alii vicini abbates, ſi negligens, crudelis,
vel fornicator, can. ſi quis abbas 18. q. 2. c. miramur, & ibi gloſſ. &
Doct. de ſer. non ordin. In degradatione presbyteri, epiſcopi ſex
adeſſe debent, niſi ob hęreſin deponatur: tunc enim vnus ſuffi-
cit conuocatis abbatibus, prælatis religioſis, & literatis diœce-
ſeos, c. 1. de hæret. in 6. glo. in d. c. 2. de pœn. in 6. Si vero agatur de
clericis in minoribus ordinibus conſtitutis, vnus ſufficit epiſco-
pus cum præſentia ſui capituli, c. 2. de pœn. & ibi glo. in 6. ca. quali-
ter, in 2. de accuſ. c. 1. de exceſ. prælat. can. epiſcopus, 15. q. 7. c. non po-
teſt, de re iud. niſi conſuetudo obſeruata aliud ſtatuat, ca. 3. de con-
ſuetud. glo. in d. c. 2. de pœn. in 6. Si de ſummo pontifice deponen-
do, ad concilium generale recurrendum eſt, in cauſſis in quibus
deponi poteſt, vt in ca. ſi Papa, 40. diſtinct. Videndus & Petrus
de Monte, tit. de poteſtate conciliorum, quæſtione quãdo con-
cilium ſit ſupra Papam, verſi. tribus modis. Cauſſa epiſcopi cri-
minalis debet audiri a 12. epiſcopis: & a ſex presbyteris: & a tri-
bus diaconis, cum proprio ſuo epiſcopo, ſecundum concilium 2.
Carthaginenſe & Agathenſe. c. ſi quis timidus, & c. felix 15. quæ. 7.
Cognoſci etiam niſi in ſynodali conſeſſu a ſummo pontifice de-
creto, de reatu epiſcopi aliquando non licuit. can. nullus epiſcopus
5. qu. 4. nec duodecim iudices, qui decernuntur ad audiendum
eundem, poſſe cauſſæ finem imponere ſtatutum, ſed ſentẽtiam
ſummo pontifici relinquere & deferre debere, c. duodecim 5. 4.
c. accuſatus can. diſcutere, 3. 6. & tota illa quæ. quamuis ipſe ſum-
mus pontifex poſſit ſine ſynodo condemnare vel abſoluere, d. c.
duodecim. Porro vnus epiſcopus quidem ſacerdotibus & mini-
ſtris cultus diuini honorem dare poteſt, at adimere ſolus nõ po-
teſt c. 1. & fi. 15. q. Difficilius enim deſtruuntur ſpiritualia, quam
conſtruantur: cum tamen contrarium in corporalibus ſit, quæ
difficilius ædificantur, quã deſtruantur, c. inter corporali. de tranſ-
lat. epiſc. ¶ Degradationem † porro locum habere in tribus caſi- 10
bus tantum tradit Lucas de Penna, in l. 1. de priuileg. ſchola. lib. 12.
C. in hęretico, c. ad abolendam, §. 1. de hæret. & c. excommunicamus.
eod. tit. falſatore literarum ſumm. pont. c. ad falſariorum, de crim.
faſ. & in eo qui inſidiatus eſt ſuo epiſcopo, vel eum calumniatus
eſt, c. ſi quis ſacerdotum 11. q. 1. ¶ Iure † ciuili vſurpata eſt inter 11
pœnas quoque a gradu & dignitate depoſitio, l. aut damnum, in
prin. de pœnis, in P. Et exauctoratio, inſignium militariũ depoſi-
tio vel priuatio eſt, eaq; poteſt eſſe & ſine ignominia, & cum ea:
ſine ignominia eſt ratione facti, ob ꝙ exauctoratur miles, veluti
ſi ꝙ litigauerit, & tranſegerit, militia ſoluatur. Arria. l. 4. §. exau-
ctoratus, de re mili. in P. Et exauctorãtur ſæpe legiones militares
ſine crimine, quod dicimus, Caſſer les bandes, vel ꝙ tot militib.
princeps non indiget, vel alia honeſta cauſſa mittuntur. Sic Vlp.
in l. 2. § ignominiæ cauſſa, de his qui notan. infam. P. miſſionem mi-
litum ab exercitu vnam honeſtam facit, quando emeritis ſtipen-
diis, vel ab imperatore indulgetur: aliam cauſſariã, quę propter
valetudinem a laboribus militiæ ſoluit: tertiam ignominioſam,
quoties is qui mittit, adiicit nominatim ignominiæ cauſſa ſe
mittere. ¶ Sed etſi, † inquit, militem exauctorauerit, id eſt, inſignia 12
militaria

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*militaria ei detraxerit, inter infames efficit, licet non addidiſſet, ignominia cauſſa ſe eum exauctoraſſe.* Quartam quoque aliam ſubiicit. *d. §. ignominiæ.* miſſionem, ſed non ignominioſam. Arrianus, *in l. qui de libertate 29. de libe. cau. lib. 40. P. tit. 12.* Iuriſconſultus exauctoratum a militia remotum interpretatur, & caſtris eiectum, nempe cum arma adimuntur, & cingulum. Et ita his verbis exauctorantur apud Lucanũ milites ignaui, *in 5. Pharſal. a Iul. Caſ.*

*Iam certe mihi bella geram, diſcedite caſtris,*
*Tradite noſtra viris ignaui ſigna Quirites.*

Et apud Lampridium in Alexand. legione loquente exauctorata, cum nihilominus poſt iſta fremerent, exclamauit. *Quirites diſcedite, atque arma deponite. Mirando exemplo, depoſitis armis, depoſitis etiam ſagulis militaribus, nõ ad caſtra, ſed ad diuerſoria varia diſceſſerint.* Et poſtea: *Eam tamen legionem quam exauctorauerat, rogatus, poſt dies triginta, priuſquam ad expeditionem Perſicam proficiſceretur, loco ſuo reſtituit.* Solent dignitates & honores in repub. propria quædam habere inſignia, quę dum honor datur, conferuntur: dum vero exauctorantur qui habent, adimuntur. Habebant conſules & reges faſces, ſecureſque, *Dionyſ. Halicar. in 2. Liuius in 1.* Habebant ſenatores Romani latum clauum, ſeu laticlauium, & calceum lunatum, *Bud. late ad leg. fin. de ſenat. P.* noſtri purpuram. Equites Romani annulum, *Plin. libr. 33.* noſtri calcar aureum, & torquem.

13 ¶ Militare † potiſſimum inſigne, cingulus erat, a quo enſis pendebat: vnde de proximo cingendus, pro cincto habebatur, id eſt, priuilegio militari gaudebat, *l. filiusfamilias 44. de milit. teſta. in P.* Inde & teſtamentum militare in procinctu factum dicitur, cum aciem intraturi milites ſe gladiis accingentes, quomodocunque poterant diſponebant, *Pluta. in Coriola, §. 1. de teſta. & §. illis, de milit. teſt. apud Iuſtin.* Dicimus & renuntiare priuilegio cinguli milites, cum eiurant priuilegium militare, nempe quod cingulo indicatur, *l. fi. de apparit. magi. mili. lib. 12. C. tit. 55.* Ita enim & depoſito cingulo priuilegium ceſſat, *l. 2. vbi de ratioci. agi opor. lib. 3. C. tit. 21.* Hinc factum eſt tranſlatitie, vt & dignitatis & honoris inſignia etiam aliorum quam militum dicantur, cingulum, *l. 2. vt ordo dignit. ſerue. lib. 12. C. tit. 8, l. omnes, 9. de metal. eod. lib. C. tit. 41. l. fin. de præpo. ſacri cubic. lib. 12. C. tit. 5. §. nec latet nos, verſ. arripiat, vt omn. obed: iud. prouin. in Authen. colla. 5. tit. 20. §. quia vero quadam, vt lice. mat. & auiæ in Auth. col. 8. tit. 13.* Ita & cingulum eſt militiæ, & cingulum dignitatis, *Iuſtin. in l. ſi quis in conſcribendo, 29. de pact. lib. 2. C. tit. 3.*

## De Publicatione bonorum, ſeu Confiſcatione. Cap. 31.

1 *Confiſcant bona iudices eccleſiaſtici, & laici.*
*Publicatio bonorum, & confiſcatio quid.*
*Item fiſcus quid. eod.*
2 *Fiſci & ærarii differentia quorundam.*
3 *Patrimonialia bona principis quæ.*
4 *Bona coronæ vnita quæ.*
*Confiſcatio cui permiſſa. eod. & 6.*
5 *Confiſcatio bonorum & corporum.*
*In pecunia partem maiorẽ rei familiaris habere pro crimine habitum. eod.*
6 *Ciuitas non habet ius confiſcationis.*
*Quæ autem publica bona ciuitates habere dicantur.*
7 *Fiſcum in quibus habeant iudices eccleſiaſtici.*
8 *Feudum in confiſcatione bonorum ad quem redit.*
9 *Fiſcus duplex, vniuerſalis & priuatus.*
*Confiſcatio pro quibus criminibus ad dominos locorum non pertinet. eod.*
10 *Confiſcatio ordinaria & extraordinaria ad quos pertineat.*
11 *Confiſcatis bonis quibus dominis bona addicuntur.*
12 *Confiſcato corpore quomodo confiſcari dicantur bona, & quando, 16.*
*Confiſcatis bonis quæ partes liberis damnatorum relinquantur. eodem.*
13 *Confiſcandi & non confiſcandi bona reorum varii ritus & leges variæ.*
14 *Fiſcus diues, ſignum male ſe habentis reipub.*
*Quod non capit Chriſtus, capit fiſcus, vnde dictum. eod.*
15 *Fiſcus lieni comparatus.*
16 *Confiſcatio bonorum quibus fiat caſibus ſine pœna perſonæ.*
17 *Confiſcatione bonorum facta, quæ ab illis bonis eximantur, & num. 18.*
*Dos, vxore delinquente, confiſcatis eius bonis, marito relinquitur. eod.*
18 *Reſtitutioni bona ſubiecta, confiſcatis bonis poſſidentis, quomodo ad fiſcum pertineant vel non.*
19 *Vſusfructus confiſcatis bonis vſufructuarii in fiſcum non tranſit.*

Vtuntur iudices, † cum eccleſiaſtici, tum temporales confiſcatione bonorum ſeu publicatione in pœnarum impoſitione. Publicatio bonorum eſt in publicum reductio, adimere ſcilicet bona priuatis, & ad vſus vtilitatemque publicam tranſferre. Ea quoque publicatio, confiſcatio dicitur, quaſi in fiſcum ſeu ærarium publicum redactio. Fiſcus vas capacius quoddam, ſacculi inſtar eſt, *Rauiſ. Textor, dum de ſacco agit.* a ferendo, vt puto nomen ductum. Sicuti & M. Terentius Varro, *4. de lingua Latin.* fiſcinam a ferendo quoq; declinat, cum qua & fiſcus affinitatem habere videtur. Itaque cum antiquis temporibus pecunia publica eo genere vaſorum deferretur & contineretur, vſurpauit Cicero 2. *Verri.* fiſcos Sicilienſes, pro pecunia publica Sicilienſium. Et apud Cornelium Tacitum in 1. fiſci rapti Imperatoris dicuntur, id eſt, arcæ quibus deferebantur pecuniæ principis. Et Suetonius dixit, Auguſtum habuiſſe confiſcatam repoſitamque pecuniam, *Suetonius in Octauio, c. 101.* Neque de ſignificatione nominis huius video valde dubitatum, cum & fiſcalia ad publicum dicantur a Iuſtiniano ius, *in §. oportet, in 1. de manda. prin. col. 3. tit. 4. in Authen.* pertinere. ¶ Eo † excepto, 1
quod quidam putant, ærarium fuiſſe proprie pecuniæ publicæ, fiſcum autem pecuniæ patrimonialis principis, adducti Pliniana auctoritate, *in Paneg. ad Traia.* qui ad Traianum, *Fortaſſe,* inquit, *non eadem ſeueritate fiſcum, qua ærarium cohibes, imo tanto maiore, quanto plus licere de tuo, quam de publico credis.* Huicque ſententiæ non leuis auctoritatis viri eruditi ſe ſubſcripſerunt. Verum quomodo potius proprie principis patrimonium fiſcus, quam ſit reipublicæ ærarium, non explicant, nec ſatisfaciunt. Legimus quippe hæc confundi, & ad ærarium deferri, idem eſſe, quod in publicum & fiſcum, apud Paulum Iuriſconſ. *leg. 3. de iure fiſc. lib. 40. P. tit. 14.* Antea enim modica erant fiſci compendia, ideo fiſcis & ſacculis continebantur: poſtquam autem creuerunt, arcas & ærarium oportuit inſtitui, *glo. in l. 4. in verbo fiſcalis, de numerariis, & actuar. lib. 12. C. tit. 50.* Remanet itaque natura eadem compendii, ſed diuerſa nomina, ratione quantitatis illatæ.

¶ Obſeruaui autem † duorum generum bona in imperatore 3
eſſe conſideranda: alterum eorum, quę vt priuatus poſſidet, nulla adhibita conſideratione dignitatis, quæ proprie non fiſcalia, ſed patrimonialia nominantur, & qui illis regendis præficiebatur, ſimpliciter dictus procurator Cæſaris, *Vlp. l. 1. de off. proc. Cæſa lib. 1. P. tit. 19.* & comes rerum priuatarum, *l. 1. & tot. tit. de off. commun. rer. & priuat. lib. 1. C. tit. 36. Meminerunt & de his priuatis rebus Cæſaris. tit. de fund. rei priua. lib. 11. C. tit. 65.* qui & res ſolemniter fiſco deferendas per publicationẽ, aut ratione iuris Imperatoris, examinabat: vt poſtea rationalis, ſeu procurator fiſci incorporaret fiſco *l. ſi quando 3. de bon. vacant. lib. 10. C. tit. 10.*

¶ Aliud † genus bonorum principis, quæ cum dignitate, ſeu 4
poteſtate, vel eius ratione ei accedunt, vel debentur: cum dignitate ſunt ea, quæ regno ſunt coniuncta, dicimus eſſe vnita coronæ: quæ ratione eius veniunt, iura alia ſunt, quæ nonniſi ei qui princeps eſt, vel ei qui ſuperiorem nõ habet, debentur, vt compendia, quæ ex vectigalibus, *tit. quæ ſint rega. in vſib. feudo.* & publicatione veniunt bonorum reorum. Sicut enim ſine auctoritate principis non licet alicui vectigalia imponere vel exigere, vel antiqua reformare, *Hermogen. in l. vectigalia 10. de public. & vectigal. 39. P. tit. 4. titul. noua vect. &c. lib. 4. C. tit. 62. Innoce. 3. in ca. ſuper quibuſdam, cap. 26. de verb. ſignifi. libr. 5. Decret. titul. 40.* ſic etiam Bona publicare ad ſolum principem pertinet, & ad eum, cui is conceſſerit, *l. 1. ne ſine iuſſu princip. lic. cert. iudi. confiſc. lib. 9. C. tit. 48.* Et hæc bona proprie fiſcalia, & ad ius fiſci pertinentia: quod plures tituli indicant in iure, nempe, *de iure fiſci, vbi cauſſæ fiſca. & c. de aduoca. fiſci.* & ſimiles. Et proinde quia princeps poteſtate publica fulcitus & donatus eſt, tranſlato in in eum iure populi lege, quæ de imperio lata eſt, *l. 1. de conſt. prin. lib. 1. P. §. ſed quod principi. de iure natu. ap. Iuſtin. l. 2. §. deinde cum eſſet, & §. nouiſſime, de orig. iur. P.* bona eius fiſcalia quoque propria cum nota tamen aliqua improprietatis, quaſi, *gl. in l. diuortio, §. ſi fundum in verb. in alieno, ſol. matr. in P.* dicuntur interdum apud Vlp. *l. 2. §. hoc interdictum, ne quid in lo. pub. lib. 43. P. tit. 3.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

5 ¶Confiſcationis † meminit & bonorum & corporis Suetonius, *in Calig. c. 41.* dum ait, Claudium Caligulam Cęſarem, cum quondam ludens alea, proximo colluſori demandata vice ſua, progreſſus in atrium domus fuiſſet, prætereuntes duos equites Romanos ſine mora corrumpi iuſſiſſe confiſcarique, atq; exſultantem rediiſſe gloriantem nunquam ſe proſperiore vſum alea. Rurſumq; tradit, *idem in Tiber. Cæſa. c. 49.* a Tiberio Cæſare Galliarum, Hiſpaniarum, Syriæque, & Græciæ principes confiſcatos, ob tam leue, & tam impudens calumniarum genus, vt quibuſdam non aliud ſit obiectum, quam quod partem rei familiaris in pecunia haberent. Et iterum, *idem in Octauio. c. 15.* exſtiterunt qui traderent, conſulto Octauium, ad arma iſſe contra Peruſios ſcilicet, vt occulti aduerſarii, & quos metus magis, quam voluntas contineret, facultate L. Antonii ducis præbita, detegerentur: deuictiſque iis & confiſcatis, promiſſa veteranis præ-
6 mia ſoluerentur. ¶ Confiſcare † itaque princeps proprie dicitur, vel alii eius permiſſione, & ius fiſci principis. Neque ciuitates, vel alii, quibus permiſſum eſt habere corpus, vel arcam communem, *l. 1. §. quibus permiſſum, quod cuiuſque vniuerſ. nom. lib. 3. P. tit. 4.* ius hoc habent ſine ſpeciali priuilegio, vt notat Baldus, *in l. 1. num. 8. de hered. vel acti. ven. in P.* & Bartolus *in l. item veniunt, § ait ſenatus, num. 2. de petit. hered.* Nam & ciuitates proprie publica bona non dicuntur habere, & quæ communia eis ſunt, vel in commune reducuntur: pro priuatis habentur, Caio Iuriſconſ. teſte, *l. eum qui vectigalia, l. 16. de ver. ſig. libr. 50. P. tit. 16.* cum publicum ius ſit, quod ad ſtatum rei Romanæ conſeruandum, id eſt, imperii vel regni pertinet, *leg. 1. §. huius ſtudii. de iuſti. & iure, in P. § huius ſtudii, eod. apud Iuſtinia.* Niſi forſan ſint ciuitates liberę, quæ ſuo iure viuant, & rempublicā conſtituant, vt idem Bartolus explicat, *in d. § ait ſenatus.* Sunt & ciuitates Inſubrum, ſeu Longobardiæ quædam, quibus hoc ius regale confiſcandi, merum mixtumque conceſſum eſt ab Imperatoribus Friderico & Henrico ſexto, *in Extrau. de pace Conſtan. c. nos Romanorum Imperator, poſt librum Feudorum.* Habent & hoc ius in Gallia quidam ex patritiis, quos dicimus *Pairs de France*, inter ſuæ ditionis homines. Aliique antiſtites & heroes ex conuentionis pacto cum rege inito, vel cum ſua, & ſe imperio hac lege commiſerunt, vel ſi poſtea aliquo titulo comparauerint, vel ex conſuetudine a rege tempore immemoriali tolerata, *gl. in §. nulla exiſtente licetia, in verb. iuriſdictione, de defenſ. ciuita. col. 3. tit. 2. in Auth. Ioan. de Plate. ſuper rub. de iure fiſ. lib. 10. C. ver. quinto quæro.* vel approbata. Sicut & iudicibus regiis aliiſque, quibus mixtum & merum imperium conceſſum a principe eſt, licet confiſcatione vti.

7 ¶Eccleſiaſtici † quoque antiſtites in his, in quibus non habent ſuperiorem, fiſcum habere dicuntur. *gloſſ. in ca. quia diuerſitatem, in verb. præter eius, de concor. præb. expreſſe Clemens 5. in ca. 2. de hæret. lib. 5. Cle. tit. 3.* Negauit tamen Baldus, *in rubr. de iure fiſc. C.* epiſcopum fiſcum habere, quem tamen & aſſeclas, Butrigarius, Imola, Panormitanus, aliique interpretes, *in d. c. quia diuerſitatem*, & Felinus, *in c. irrefragabili, §. ceterum, in 4. concluſ. nu. 11. de iud. ordina.* reiiciunt. Atque hodie ex conſuetudine generali regni Gallici in confiſcatione bonorum clerici, mobilia clericorum damnatorum applicantur epiſcopis: immobilia vero dominis a quibus tenentur, vel in quorum dominio ſunt, *Aufre. ad q. 150. capellæ Toloſa.* Quod & iure pontificio receptum oſtendunt plura a Ioanne Andrea collecta in quæſtione, quam reſoluit, *Io. Andr. in addit. ad Specul. in tit. de feudis, §. quoniam. verſi. 40. & 41.* Clerico condemnato ad perpetuos carceres, ex bonis eius confiſcatis epiſcopum habere tātum iure fiſci mobilia, dominum autem loci, temporalem habentem omnimodam iuriſdictionem, immobilia. Quod & firmat Oldradus, *conſi. 17.* & P. Ancharanus, *in c. ea quæ, de reg. iur. in 6. 22. q.* Bellamera, *deciſ. 725. incip. pro introduct.* & ita iudicatum fuit, *habetur in ſtylo parlam. 4. par. §. 50.*

8 ¶ Niſi † de feudo ageretur, quod non tranſit ad heredem extraneum: damnato enim cliente ſeu valuaſſore, & confiſcatis eius bonis, feudum hoc ad eum qui dederit, redit. Et ita tranſit in fiſcum, ſi ab eo dependet. *Oldrad. conſi. 17. in deciſ. ca. Tholoſ. 394.* cum ex conſuetudine Galliarum feuda ad inſtar patrimonii ſint, *Alberi. in l. fi. de iuriſ. omn. iudic. C. Boer late, in §. 1. de conſuetu. Biturig.* Si autem ab eccleſia, damnato eo qui tenet, ad eccleſiam redibat, *c. in quibuſdam, de pœn. ap. Gregor. c. fœlicis eod. tit. in 6. Alex. conſi. 89. lib. 4.* Sed de confiſcatione hac feudorum ſunt aliæ valde implicitæ tractationes, quas extricat Dominus Boerius 264. num. 7. 8. & 9. ad quem reiicio lectorem. ¶Et † proinde 9
faciliores explicationis cauſſa, fiſcum duplicem conſtituemus, ratione conceſſionis iuris eius inferioribus, & aliis quam principi competentem: nempe vniuerſalem, & priuatum, *Bald. in ca. 1. §. adhoc, de pa. iuram. firm. in vſib. feud.* Vniuerſalis proprie fiſcus & abſolute dicitur, qui principis ſeu regis eſt, vel Imperatoris, & ſummi pontificis, ad quem, niſi aliud ſpeciale priuilegium refragetur, fiſcalia pertinent, *l. 1. de bon. vacan. libr. 10. C. tit. 10. Martian. Iuriſc. in l. ſimile 10. ad municip. lib. 50. P. tit. 1.* Priuatus fiſcus eſt, veluti epiſcoporum & dominorum temporalium locorum, ad quos confiſcationes bonorum ſubditorū, etiam aliorum iudicum ſententia damnatorum, pertinent. Et ita quilibet habens merum imperiū, fiſcum habet, *Chaſſa. in §. 1. de confiſcatio. in conſuet. Burg. Guid. Pap. deciſ. 76. Bald. in l. 1. de hered. vel act. vend. C. Maſue. in praxi iudicio. tit. de pœn. 5. item aduertendum, per l. fin. de exact. trib. lib. 10. C. l. eum qui ad leg. Cornel. de ſicar. C. leg. 2. de præſ. C. l. ex facto, de hered. inſtit. in P.* etiam in crimine hęreſeos, *Guid. Pap. vbi ſup. & text. expr. in ca. cum ſecundum leges, de hæret. in 6. & ibi Ioan. Andr. & Anchar. vide Henr. Boic. in c. vergentis, de hæret. & in c. ſuper quibuſdam de pœn. apud Gregor.* exceptis criminibus, quæ maieſtatis ſunt, & aliis priuilegiatis, quibus ſicuti principis verſatur iniuria, ita & eius eſt delinquentiū confiſcatio, ſi bonorum vlla fiat publicatio, *l. quiſquis, & l. fin. ad leg. Iul. mai. l. donationes, D. de don. Guid. Pap. quæſt. 332. facit l. ſi finita, §. ſi de vectigalibus, de dam. inf. P. nota. in c. poſtulaſti, de for. compe. Bart. in l. cunctos populos, in fine, de ſum. trinit.* Hicque obſeruandum etiam, non omnes, ad quos confiſcata bona pertinent, ius confiſcationem faciendi habere. Nam de conſuetudine, & vſu curiarum Galliæ, domini temporales habētes maiorem iuriſdictionem, quos vocant altos iuſtitiarios, non confiſcant, nec declarant bona eſſe confiſcata, ſed ſolus rex, & eius magiſtratus, *Nicol. Boer. deciſ. 264. num. 5.*

¶ Iure † tamen ciuili cum confiſcatio vna ſit extraordinaria, 10
alia ordinaria, extra ordinem, hoc eſt, in caſibus, in quibus ius non imponit confiſcationem, nemo præter principem & præter eos qui habent ſupremam iuriſdictionem confiſcare poteſt, *Ioan. Faber, Bald. Ange. Salyc. in l. vni. ne ſine iuſſu prin. lic. cert. iud. confiſc. Iaſon conſ. 46. incip. pro fiſco regio, num. 1. vol. 3.* At ordinaria, quæ eſt in caſibus a iure expreſſis, vel ſtatuto vel conſuetudine permiſſis, omnibus iudicibus, merum vt dicunt imperium, vel altam iuriſdictionem habentibus, ratione territorii, non aliis conceditur, *præd. proxime, vbi ſupr. interp. & Alberi. in 3. part. Statu. q. 28. verſ. eſt etiam aduertendum, Boer. late d. deciſ. 264. nu. 1. & 2.* Quamuis ex confiſcatione ad eos compendia perueniant, & quanquā multas ſuo fiſco addicendas recte irrogent, ſine publicatione tamen bonorum.

¶ Ceterum † ex bonis publicatis, bona immobilia debent 11
applicari fiſco eius, in cuius territorio ſita ſunt, *l. quicunque, §. vniuerſi, C. de hæret.* mobilia, quæ ſunt alibi, applicantur communitati iudicis condemnantis, *c. 1. §. ſi iudex, de pac. iuram. fir. in vſi. Feud. vide Chaſſa. §. 3. tit. des confiſcationes. in conſuet. Burg. ad ver ſoit au ſeigneur.* Quod ſi plures diuerſo iure domini ſint eius loci, qui fortius ius habet, cōfiſcationes colligit, *tractat hoc Chaſſa. in d. §. 3. & in verbis, ou mains mortes.* Num autem mutatis dominis poſt contractum crimen, & ante condemnationem, vel mutatis conductoribus fructuum iuriſdictionem, confiſcationes pertineant ad eum, qui erat tempore commiſſi criminis, vel ad eum, qui erat tempore condemnationis, diſputatur a Guil. Benedicto, quem videre oportet in repet. c. Raynutius, ad verba, *cetera bona*, nu. 38. & 39. Sed quæ veniant in publicationem bonorum diſcutiamus.

¶ Sitq; † in primis regula generalis in Gallia, ex conſuetudi- 12
ne regni communi: cōfiſcato corpore, confiſcari & bona, *Chaſſ. in §. 1. des confiſcations, in conſu. Burg. in verſi. alio & ſecundo modo.* Sic iure Pandectarum, qui ad ferrum aut in metallum, aut ad beſtias damnantur, libertatem perdunt, bonaq; eorum publicantur, *l. eius, §. ii vero, de teſt. in P. l. 1. de bon. dam.* Et idem iure Codicis, ſi damnati pœna mortis liberis careant, *l. fi. de bon. proſc. C. lib. 9. tit. 49.* Sic Calliſtratus, *Supplicii*, inquit, *leg. prima. de bon. damn. lib. 48. P. tit. 20. damnatione bona publicantur, cum aut vita adimitur, aut ciuitas aut ciuilis conditio irrogatur.* Nā ſi fuerint damnatis liberi nati, vel poſthumi, vel nepotes, interdum ex æquitate omnia bona patrum illis relinqui, ſi plures fuiſſent, placuit Cæſaribus: interdum quaſdam portiones, vt mediam partem, ſi pauciores, *l. 1. §. 1. & l. cū ratio, de bon. dam. l. fi. de bon. proſcr. C.* Non

tamen

tamen de bonis damnatę matris filiis relinqui quicquam voluerunt, § 1. de inceſt. nup. in Auth. colla. 2. tit. 6. Iure autem Nouellarum variatum eſt: nam principio admiſſa publicatio bonorum damnatorum, ſi liberos non haberent ex inculpato matrimonio inceſtas nuptias cõtrahentes. Et deinde viſum eſt damnatis reis, etiamſi liberos non haberent, bona fiſco non eſſe adiudicanda, ſed proximioribus relinquenda: quod res non ſint, quæ delinquant, ſed qui eas poſſident: nec reciprocandum eſſe ordinem nempe eos, qui digni pœna ſunt, relinquere, illorum autem auferre res, & ita alios punire, inſontes, qui ad ſucceſſionem reorum veniebant, §. oportet autem, in 2. de mandat. prin. coll. 3. tit. 4. in Authen. Ad extremum alia conſtitutione placuit, §. fin. vt null. iudic. lic. hab. loc. ſeru. col. 9. tit. auth. bona damnatorũ, de bon. proſcrip. C. & bona damnatorũ, quæ olim fiſco deferebantur, aſcendentibus, & deſcendentibus, & collateralibus vſque ad tertium tantum gradum, ſi ſupereſſent reſeruanda, vxoribuſque dotem & donationem propter nuptias: & ſi ſine dote ſint, data de ſubſtantia viri parte, ſiue filios habeat, ſiue non. Nemine autem illorum prædictorum damnatorũ exſiſtẽte, bona fiſco ſocianda: excepto crimine maieſtatis, in quo filii priuantur etiã bonis patris, de eo crimine damnati, relictis alimentis filiabus, l. quiſquis,

13 ad leg. Iul. maieſt. C. ¶ † Fuerunt varii itaque principes in confiſcationibus bonorum, aliis ſtatuentibus eam, aliis reſtringentibus, aliis protinus explodentibus. Marcus Antonius philoſophus Cæſar, fiſco in cauſis compendii, nunquam iudicans fauit, Iul. Capito. in M. Antonino philoſ. Antoninus Pius, ſi quos repetundarum lege damnauit, eorum liberis bona paterna reſtituit: ea tamen lege, vt illi prouincialib. redderent, quod parentes acceperant, idem in Antonin. Pio. Ælius Adrianus liberis proſcriptorum duodecimas bonorum cõceſſit. Spart. in Adriano. Sunt in Gallia loca plura, in quibus nulla confiſcatio ex conſuetudine recipitur, cuiuſcunque ſint criminis rei, etiam vtriuſque maieſtatis qui damnentur, vt apud Bituricenſes, §. 10. & 11. de iuriſd. omn. iud. in conſuet. Bitur. Aquitanos, Ferro. in conſuet. Aurel. tit. 12. de furt. arb. §. 3. apud Hannones, Butelerius, in ſumma rurali. In Flandria tantum in quinque caſibus confiſcatio, in proditione patroni ligii, ſeditione ſuiipſius homicidio, hæreſi, & fuga ex acie quæ contra communes Chriſti hoſtes. eo. Buteler. Obſeruandum tamen eſt, in locis, in quibus confiſcationes prohibentur, habere locũ mulctas pecuniarias, quæ ob crimina infliguntur, pro ratione patrimonii, vide Nicol. Boer. ad §. 10. de iuriſd. om. iud. in conſuet. Biturig. etſi quidam conſuetudine gaudentes, de his conquerantur, vt in fraudem priuilegiorum indictis. Notat etiam Boerius in d. §. 10. ſingulare ex variis interpretum locis collectum: quod ſi is, qui ex crimine quod confiſcationẽ habet, damnetur, habitator ſit eius loci, qui nõ admittat confiſcationem, bona eius nõ ſolum eius loci, ſed & aliorum, in quibus confiſcatio locum habet, eximuntur a confiſcatione: vt cõtra ſi quis incolat locum vbi cõfiſcationi locus ſit, non ſolum eius ibi ſita bona confiſcantur, ſed & alia, quæ ſunt in locis, vbi non habet locum confiſcatio.

14 ¶ Sic ergo † delictorum cõpendium ad fiſcum peruenit, Guido. Papienſ. deci. 259. num. 2. per l. in heredes 5. de calumnia. lib. 3. P. tit. 6. l. Papinianus, §. meminiſſe. de inoff. teſt. in P. vt & certe veriſſimum illud ſit, fiſcum eſſe ſaccum, ſiue arcam ſine conſcientia, qui quo ditior eſt, eo magis cum male ſe habere Rempublic. demonſtrat, quod ex ſceleribus aliorũ ditetur, hodie potiſſimum, quo ius antiquum ſeruatur, & confiſcationes receptæ ſunt. Maſue. in praxi. tit. de pœn. § item in caſib. Chaſſa. in §. 1. des confiſcations, in conſuet. Burg. verſ. ſed etiam quo ad dimidiam. Vnde vulgaris illa parœmia, quod non capit Chriſtus, capit fiſcus, ca. maiores 16. q. 7. id eſt, iniuſte quæſita vel retenta tandem ad fiſcum peruenire ex

15 delicto ſolent. ¶ Vnde † lieni fiſcus cõparatur, qui humores melancholicos, ex hepate per vas venoſum ad ſe attrahit, quorum partem tenuiſſimam in alimentum conuertit, reliquam per proprium quendam meatum, quem ſtomachum vocant medici, in ventriculum eructat, Gale. libr. 4. de vſu part. Eſtque atræ bi-

16 lis receptaculum lien, Gale. lib. 2. de natu. facul. ¶ † Confiſcantur interdum iure Pandectarum in Gallia, & Codicis aliquãdo bona tantum, qui ſint caſus, in quibus bona ad fiſcum deferantur, vide apud Chaſſa. in §. 1. des confiſcations, in conſ. Burg. vbi numeran. 73. Corpus & bona confiſcantur, in quibus quis morte afficitur, aut ademtio ciuitatis aut libertatis, l. 1. de bon. dam. in P. leg. bona fiſco, 39. de iure fiſci. vt in crimine læſæ maieſtatis, l. quiſquis, ad leg. Iul. maieſt. C. l. fin. C. de bon. proſcri. falſæ monetæ, leg. ſiquis, de fal. monet. C. de ſicariis, l. 3. §. legis Corneliæ, ad leg. Cor. de ſica. hæreſeos, l. Manicheos. C. de hære. c. cum ſecundum, leges eo. tit. in 6. diuinationis, l. nullus, C. de malef. & math. & ſimilibus. Bona autem ſine corporis pœna, infinitis prope caſibus fiſco deferri cõperimus, vt theſauros illicitis artibus inueſtigatos, l. 1. de theſaur. libr. 10. C. bona ab indigno extorta, & ab eo qui de bonis reſtituendis contra legis ſanctiones fidem accommodauit teſtatori, l. cum qui, de iis quib. vt indig. in P. bona eorum, qui monopolium cõmittunt: l. vni. de monop. C. omnia ſcelerate quæſita, l. Lucius, de iure fiſc. P. ea quæ exportantur vel importantur cõtra prohibitionem conſtitutionum regni vel locorum, hæc tractat late Nicol. Boer. deciſ. 178. nu. 18. & ſeq. vide l. cotem 11. in prin. & §. dominus, de pub. in P. & l. 2. quæ res export. non debe. C. Refert & Calliſtratus ſexdecim caſus, in quibus bona ad fiſcum deferantur, in l. 1. de iure fiſc. libr. 49. P. tit. 14. quos explicat ibi gl. & interp. vt non opus ſit hic tranſcribere.

¶ Ceterum † quædam eximuntur a bonis confiſcatis, etſi per delinquentem poſſideantur: veluti, vt paulo ante diximus, portiones, quæ liberis reſeruantur & vxoribus, vide diſtin. Aufrerii, in commen. ad deci. ca. Tholoſa. Et delinquente vxore, nihilominus marito dos relinquitur, exceptis criminibus maieſtatis, Iuliæ de vi publica, parricidii, veneficii, de ſicariis: in quibus tamen & viro contra fiſcum ſaluæ ſunt actiones, l. quinque legibus 3. cum 2. ſeq. de bon. damn. in P. Sic liberti bonis publicatis, non cenſentur iura patronatus publicata. l. fin. §. 1. eo. l. ſi in libertatem, de bon. libert. P. nec quoque excluduntur creditores damnati, l. 1. §. an bona. Iabol. l. non poſſunt 11. Modeſt. l. in ſumma, 17. de iure fiſc. lib. 49. P. tit. 14. ¶ Et † proinde bona ſubiecta reſtitutioni, quæ damnatus reſtituere tenetur poſt mortem, vel ſub conditione ſi mors naturalis infligatur, vel ſi cõditio aduenerit, non ad fiſcum, ſed ad ſubſtitutum deferuntur: ſi tamen morte ciuili damnetur tantum pendente vita ipſius naturali, fiſcus bona poſſidebit, ea autem ſublata reſtituere ſubſtitutus tenetur. Idemque de conditione adueniente & impleta, pendente morte ciuili ante naturalem dicendum, vt decidit Paulus Iuriſconſultus, Paul. in l. Statius Florus 48. §. Cornelio. de iure fiſ. in P. Hereditas enim damnati cum onere ſuo ad fiſcum tranſit, Vlp. l. ex facto 17. §. ex facto, ad ſen. Trebell. lib. 36. P. tit. 1. Caius. in l. dicitur, 14. de iur. fiſc. in P. Tradunt etiam interpretes bona, quæ non tranſeunt in extraneum heredem, non poſſe publicari confiſcatis bonis poſſeſſoris: quia fiſcus habetur loco extranei ſucceſſoris, l. iura libertorum, & ibi Bart. de iu. patro. in P. Bal. in l. 1. & Alex. in l. in inſulam, ſol. matr. in P. & in l. finita, §. ſi de vectigalibus, col. 11. de damn. inf. in P. Quare feuda ea lege data damnato, ne tranſeant ad extraneum heredem, non publicantur, etiam confiſcatis bonis eius, Bart. & Docto. in dict. §. ſi de vectigalibus, Ioan. ab Imola, in c. 2. de feud. 5 col. verſi ſed obſerua quæ ſupra diximus in feudo, & quæ tradit Guido Pap. deciſ. 341.

¶ Nec † etiam vſusfructus debitus damnato, pendente vita eius naturali ei adimitur, Bald. & Sal. in l. 1. de bon. liber. C. Alex. conſi. 23. incip. prima conſiderat. volum. 1. nec morte ſecuta ad fiſcum pertinet, vtpote, quod morte vſufructuarii ad proprietatem redeat, §. finitur, de vſufruct. apud Iuſtinian. leg. 3. §. morte, quemad. vſusfruct. amitta. in P. neque ius vtendi, fruendi, cedi, vendiue, vel transferri facto vſufructuarii poteſt, l. ſi vſusfructus, 67. de iure dot. in P. l. ſtipulatio iſta, leg. 3. 8. §. ſi quis ita, de verb. obligat. in P. in alium quam proprietatis dominum, cum perſonale ius ſit. d. §. finitur de vſufru. Etſi commoditas percipiendi fructus, & fructus ipſi diſtrahi, quãdiu is capax fruendi eſt, poſſint, l. arboribus §. vſusfructus de vſufruct. P. leg. neceſſario, §. fin. de pericul. & fructus & commod. rei vendi. 17

## De Detruſione in monaſterium.

### Cap. 32.

1 Monaſterii detruſio pœna cur inuenta.
Carceris perpetui pœna cur inuenta. eod.

POtiſſima eccleſiaſticarum † perſonarum habentium iuriſdictionem cura in eo verſatur, vt omnibus modis, quibus fieri poſſit, contendant delinquentes a ſcelere reuocare, & pertinaces ſeu contumaces in iter, a quo aberrarunt, reducere: mortemque naturalem nunquam infligunt: exſpectantes, vt aliquando reſipiſcant. Proinde & monaſteriorũ & carcerum perpetuorum pœnam adinuenerunt vel vſurparunt exſpectantes ſi has inter moras viuendi, incluſos peccaſſe pœniteret. Monaſte- 1

ria per ſe loca referunt ſolitaria, ſemota ab omni hominum ſecularium ſocietate, & ab his, quæ mentem a Dei contemplatione auocare poſſunt, *c. luminoſo 18. q. 2.* Sicut & monachi nomen ſolitarium triſtemve ſignificat, *c. placuit, 16. q. 1. c. ſi cupis, eo.* Vitæ auſteritas, quæ in monaſteriis olim eſſe ſolebat, facili ibi addictos pertrahere poterat ad vitam meliorem. Regulare olim erat, vt epiſcopus aſſignaret clerico quem depoſuiſſet, monaſterium, vbi ſua peccata lugeret & amplius delinquendi ſummoueretur occaſio, *can. ſacerdos 81. diſt. c. clerici, ca. 4. de exceſſ. præl. lib. 5. Decret. tit. 31. c. tuæ diſcretionis, c. 6. de pœn. eo. lib. tit. 36. can. de lapſis, 16. q. 6.* Solebantque vel in quinquennium, vel ſeptennium ibi concludi, *cap. ſicut dignum, §. clericos de homin. lib. 5. Decret. tit. 12.* Iure ciuili quoque hæc pœna concluſionis monaſterii recepta eſt, vt ex pœna adulteræ conſtat, *auth. ſed hodie, ad leg. Iul. de adult. C. §. ſi vero quando, vt lic. mat. & auiæ, in Auth. coll. 9. tit. 9.* & ex pœna ex auctoritate epiſcopi ingredientis contra prohibitionem ciuitatem, a qua fuerit pulſus, *in l. quicunque 14. & Auth. ſi quis epiſcopus, de epiſc. & cler. C. & in c. Theodoſius 19. tit. 1. l. 35. §. ſi quis autem epiſcopus, de ſanctiſ. epiſc. nouell. 123.* Item ex pœna eius clerici qui contra prohibitionem legis tabulis luſit, vel ſpectaculis interfuit, *in Auth. interdicimus, C. de epiſc. & cleric. §. interdicimus, eo. tit. in Auth.* Attamen non ideo quod in pœnam monaſterio quis includitur, monachus fit, etſi tondeatur, & habitum ſuſcipiat, vt notat ex ſententia Ioannis Accurſius, *gloſſ. in Auth. ſed hodie, in ver. habitu, ad l. Iul. de adult. C.*

## De Pœna Carceris temporalis, vel perpetui. Cap. 33.

1 *Carcer vnde dictus, & Tullianum in carcere quid.*
*Item Latomiæ. & 13.*
2 *Carceres priuati & publici, & domus propria interdum loco carceris datur.*
3 *Carcer propria natura non ad pœnam, ſed ad cuſtodiam, & ſine vinculis.*
4 *Carceri qui non mancipandi, & vincula quibus carceratis iniicienda, & quando.*
5 *Carcer habet pœnam, quomodo. & 8.*
6 *Carceris finitio, & mala: & carceris metus promiſsionem reſcindit.*
7 *Carceris tempus poſt condemnationem exſilii in tempore exſilii minutionem computatur.*
9 *Carcer ſubterraneus quare, & in Gallia prohibitus. & 13.*
10 *Carceribus, vt quis detineatur damnatio quando valuit in pœnam & quando non.*
*Carceris perpetui pœna grauiſsima. eod.*
11 *Cææde carceres qui.*
12 *Barathrum quid.*
*Scalæ Gemoniæ quid.*
Infernet, *Gallis qualis carcer. & Decas quis carceris locus. eod.*
14 *Carcerum ex Platone diuiſio, in detentionem, caſtigationem, ſupplicium.*
15 *Carcerum cuſtodiæ debitores non committuntur.*
*Debiti cauſſa, non poſſunt legibus communibus prehendi & carcerari debitores. eod.*
16 *Carceres mulierum ſeparari debent a carceribus virorum.*
17 *Carcerum mancipatione quis iure Gallico recte ſe obligat.*
18 *Carcerari poteſt diffamatus de crimine etiã ante inquiſitionem.*
*Carcerati rei ſocii criminum ſeparandi ſunt. eod.*
19 *Carceribus caſtigationis qui damnentur.*
20 Belliſtres *qui, & quales dicantur Gallis.*
21 *Carcer ad pœnam cuius iuriſdictionis vel imperii ſit.*
22 *Carceratos ſoluendi certis temporibus, qualis, & vnde pietas.*
*Paſchæ tempore carceratorum liberatio quorum. eod.*
*Pelorium feſtum habebat vinculorum liberationem. eod.*
23 *Carcerato prohibere inferre ſtratum, aut victum pœnam habet.*
24 *Carcer perpetuus iure ciuili in ſeruis permiſſus, non in liberis: contra, iure pontificio.*
25 *Carcer perpetuus qualis eſſe debet.*

1 QVia † aliquantum iura ciuilia a pontificali in pœnæ carceris definitione differunt, cogor paulo altius huius tractatiunculæ de carcere incunabula repetere: tum etiam, quia carcerum frequentiſſimus vſus eſt. Varro *lib. 4. de ling. Latin.* carcerem a coercendo dici tradit, quod incluſi exire prohibentur. In hoc, pars quæ ſub terra, Tullianum ideo, quod additum a Tullio Romanorum rege. Syracuſis cuſtodiæ illæ infimæ vocantur Latomiæ, nomine de latomia tranſlato, quod inibi quoque alias lapicidinæ fuiſſent. Et paulo poſt Varro, *In circo*, inquit, *primo, vnde mittuntur equi, nunc dicuntur carceres. Næuius oppidum appellat. Carceres dicti, quod coercentur equi, ne inde exeant antequam magiſtratus miſit: oppidum, quod a muri parte, pinnais muribuſque carceres fuerunt.* Hæc ille. ¶ Proinde † & carcer dicetur 2
non abſurde locus omnis, in quo coercetur quis: vnde & priuati & publici carceres, auctoritate priuatorum, ſeu melius temeritate inſtituti, & publica, *l. vnic. de priuat. car. C.* atque domus propria pro carcere eſſe poteſt, dum interdicit aliquando magiſtratus alicui, ne a domo ſua procedat: *Vlpianus l. fin. de interd. lib. 48. P. tit. 22.* dicimus in praxi, *bailler l'arreſt en ſa maiſon.* Permittit & ius marito retinere in ꝓpria, veluti carcere adulterum cum vxore compertum, teſtandæ rei cauſſa, per viginti horas, *leg. cap. 5. ad leg. Iul. de adult. in P.* Conqueritur Iuuenalis de audacia impiorum ſui temporis, qua & carceres, & pœnas inferebant ex arbitrio, *Iuuenal. Satyr. 3.*

*Maximus in vinclis ferri modus, vt timeas ne*
*Vomer deficiat. ne marræ & ſarcula deſint.*
*Fœlices proauorum atauos, felicia dicat*
*Secula, quæ quondam ſub regibus, atque tribunis,*
*Viderunt vno contentam carcere Romam.*

¶ Palam † idcirco eſt, carceres non ad pœnam, ſed ad cuſto- 3
diam eſſe adinuentos, *l. aut damnum, §. ſolent, de pœn. in P.* vt dum in ſuſpenſo eſt animus iudicantium, interim rei delati ſub tuta cuſtodia retineantur, ſine pœna tamen. Nam innocentibus id eſſet miſerum, nocentibus autem non ſatis ſeuerum, *l. 1. de cuſto. reo. lib. 9. C.* Atque cuſtodia hæc publica, ſine vinculis ſua natura eſt. *Verum* inquit Vlpianus, *l. verum eſt, 218. de verbor. ſign. eſt, in carcere clauſum non videri, neque vinctum, neque in vinculis eſſe, niſi corpori eius ſint vincula adhibita.* Quamuis publica cuſtodia ea quoque ſit, quæ vinculis etiam retinet, *Venul. l. vinculorum, 224. de verb. ſign.* ¶ Nam † ſicuti cuſtodiæ carcerum non conclu- 4
duntur, de quorum fuga non dubitatur, quiue fideiuſſores dare ſiſtendi arbitrio iudicis parati ſunt, quive ea crimina commiſiſſe non dicuntur, quæ eam arguant futuram, *Vlpian. in leg. 1. & l. diuus Pius 3. de cuſtod. reo. lib. 48. tit. 3.* Sic qui in cuſtodia carceris ſunt, ſi is tutus ſit, beneq; munitus, excubiæ militeſve ſufficientes ſint, & crimina atrociora non ſint, & de iis adhuc non fuerit reus conuictus, nec catenæ, nec manicæ, nec dura mãſio adduntur: contra, vt tuta ſit reorũ dignotio, & facilior iudicati, & pœnarum exſecutio placuit addi, ſi de fuga, vel de euaſione periculum immineat, *l. 1. & l. 2. C. de cuſt. reor.* In grauioribus cauſſis itaque, dicunt vt plerumque rei cauſſam ex vinculis: numellæque ſeu manicæ, & compedes iniiciuntur, conſiderata perſonæ rei qualitate, & dignitate, fama bona vel mala, & paupertate, & diuitiis, *l. 2. eod. in P. l. lege Cornelia. §. præterea, ad Senatuſc. Syllania. in P.* Eſt in iure & mala manſio, de qua meminit late apud Labeonem, *in § quæſtionem de iniur. lib. 47. P. tit. 10. idem & Vlpian. in l. ſi hominem 7. depoſit. lib. 16. P. tit. 3.* & is numellæ mala manſio dici poſſunt, quamobrem verba illa eſſe in mala manſione, explicant, *In ecloga 12. Baſilicorum librorum c. 31. & lib. 60.* τὸ ἐμβαλεῖν τοὺς πόδας ξύλῳ. Plautus vocat ligneam cuſtodiam. Prudentius extenſionem manſionis innuit his verbis: *ligno Plantas inſerit diuaricatis cruribus.* meminit de hoc ſupplicio Lucianus, *in Toxaci.* τὰ σκέλη ἐν τῷ ξύλῳ καταπεκλεισμένα ποδοκάκῃ, Et apud Baſilium: ἐπὶ τοῦ τείχους καλατεινέσθω: ἐπὶ τοῦ ξύλου στρεβλούσθω. Plutar. τοὺς πόδας ἐν τῷ ξύλῳ δεδεμένοι. Et *in act. Apoſtol. c. 16. verſi. 24.* πόδας αὐτῶν ἠσφαλίσατο εἰς τὸ ξύλον. Soleas ligneas Cicero vocaſſe videtur, *1. Rhetoricorum ad Herennium,* dum de quodam iudicato quod matrem necaſſet agit. Moſque is apud Heluetios, vt indicat Iulius Cæſar, *lib. 1. de bello Gallico. Ea,* inquit, *res, vt eſt Heluetiis per indicium enuntiata, morib. ſuis Orgetorigem ex vinculis cauſſam dicere coegerunt.* Aliter Romæ factitatum, in cauſſa Lælii Scipionis: is enim damnatus a M. Minutio Augurino tribun. pleb. cum iudicatæ pecuniæ de reſiduis ſatiſdare non poſſet, iuſſus eſt duci in vincula. Pub. autem Scipio Africanus fratris ſui nomine tribunorum collegium appellauit, atq; ſecundum eum iudicatum refert Liuius, *lib. 8. deca. 4.* & Valer. Maximus, *libr. 4 cap. 1.* & Aul. Gellius, *libr. 7. cap. 19.* Sic in cauſſa Cæſonis Quintii Lucii, Quintii Cincinnati ſibi, ad populũ læſæ maieſtatis rei facti, placuit in illius iudicio, pecuniis ſatiſdari, corpus autem eſſe liberum, vt auctor Dionyſius Halicarnaſſæus, *lib. 10.*

¶ Ceterum † quamuis hæc ſit præcipua ratio carceris cuſto- 5
dia: ta-

dia:tamen hæc cuſtodia quia ſceleratorum eſt,& interdum diu-
turna, eſſe non poteſt ſine pœna aliqua: quia ſine miſeria,pedo-
re,& penuria vix eſſe poteſt. Et iuſtus metus reſciſſionis pro-
miſſi,carceris horror iniectus eſt, *Paul. l. qui in carcerem 22. & ibi*
6 *Bart. de eo quod met. cau. lib. 4. P. tit. 1.* ¶ Et † carcerẽ ſic quis po-
terit definire, vt ſit locus tutus horribilis, delinquentium vel de-
bitorum cuſtodiæ deputatus. Horridus locus, tum ratione ſqua-
loris & miſeriarum, quas ibi concluſi patiuntur, tum ratione ſo-
cietatis hominum pernicioſorum, vt furum, latronum, homici-
darum, & ſimilium, qui ibi aſſeruantur, cum quibus innocentia
vitæ facile corrumpitur, & mali peiores fiunt. Et accedit ad ſer-
uitutem, quæ morti comparatur, non poſſe a loco diſcedere,
*Vlp. l. 2. de lib. homi. exhib. lib. 43. P. tit. 28.* Sic Vlp. ait, interdum a-
liquem carceris pœnã ſuſtinere debere, *Vlp. in l. diuus, de cuſtod.
reor.* Idipſum & Cæſares tradunt, quibuſdam pœnam carceres
& vincula adeſſe debere, *l. 2. C. eo. tit.* Et mala manſio dicitur car-
cer. *l. apud Labeonem, de iniur. in P.* Eſſeque in carcere, per ſe mi-
ſerrimum ſcribit Leo ad Alphonſum, *libr. 10. Epiſtol. epiſt. 2. ad*
7 *Alphon.* ¶ Quocirca † tempus: quo quis poſt donationem in ex-
ſilium, detentus fuit carcere, computatur in minutionem pœ-
næ exſilii: & ſi in carcere exſilio deputatum tempus fuerit om-
nino elapſum, ſoluuntur inde rei liberi ab eo. Eſſe enim ſatis
debet, vt aiunt *in leg. omnes 23. de pœn. libr. 9. Cod. titul. 47.* Ho-
norius & Theodoſius CC. immenſorum cruciatuum ſemel
luiſſe ſupplicia. Ne ii, qui diu priuati ſunt auræ communis hau-
ſtu, & lucis aſpectu, non intra breue ſpatium catenarum pon-
deribus prægrauati, etiam exſilii pœnam ſuſtinere iterum com-
pellantur. Quod ego arbitror & obtinere debere in iis, qui ad
8 tempus in remos damnantur. ¶ Itaque † carceres omnes quan-
tumuis ſpecioſi ſint, pœnam ſua natura habent, & libertatẽ mi-
nuunt, & conſequenter triſtem animum reddunt: non ſecus ac
aues quædam liberæ, cauea incluſæ canendi voluptatem amit-
tunt. Vt non mirer quod ait Liuius in 1. carcerem interiorem ad
terrorem creſcentis audaciæ media in vrbe ædificatum, & foro
9 iunctum. ¶ Cui † Seruius Tullius ſubterraneum addiderit, de
quo Saluſtius. Ad maiorem ſcilicet terrorem. Vinculaque adie-
cta, & loca horrida ſubſtructa, a quibus tamen abſtinere debent
Chriſtiani iudices, quibus etiam cura & humanitas erga carce-
ratos iure ciuili iubetur, *l. iudices, de epiſc. audie. lib. 1. C.* Et conſti-
tutionib. Gallicis. Aureliæ in comitiis decretis, *habitis ann. 1560.
art. 55.* proſpectum ſancitumue, ne poſt hac ſubterranei eſſent.
Et Conſtantius Auguſtus, *in l. 1. de cuſtod. reor. C.* ait, *nec ſedis in-
timæ tenebras pati debebit incluſus, ſed vſurpata luce vegetari ac ſub-
leuari. Et vbi nox geminauerit cuſtodiam in veſtibulis carcerum, &*
10 *ſalubrib. locis recipi.* ¶ Fuit † & aliquando iure ciuili Romano-
rum ea ratione, quod non ad puniendos homines carcer haberi
debeat, ſed ad cuſtodiendos, interdictũ, *Vlpi. l. aut damnum, 8. §.
ſolent, de pœn. P.* ne præſides damnarent, in carcere cõtinendos,
vel in vinculis contineri. Verum enimuero non hoc iure perpe-
tuo vſa Roma eſt, nam & Cicero carcerem dixit, 3. *Catil.* vin-
dicem manifeſtorum ſcelerum & nefariorum. Meminit & idem
de perpetuis carceribus in pœnam ſtatutis, eamque morte gra-
uiorem ex ſententia C. Iulii Cæſaris. *Cic. 4. Catili. Intelligit,* inquit
Cæſar, *mortem a Deo immortali non eſſe ſupplicii cauſſa conſtitutam:
itaque eam ſapientes, nunquam inuiti, fortes ſæpe etiam appetiuerunt.
Vincula vero, & ea ſempiterna, certe ad ſingularem pœnam nefarii
ſceleris inuenta ſunt.* Et paulo poſt, *Bona præterea publicari iubet,
vitam ſolam relinquit nefariis hominibus, quam ſi ademiſſet, multas
vno dolore & animi & corporis, & omnes ſcelerum pœnas ademiſſet.*
Refert Valer. Max. lib. 6. cap. 3. C. Vatinium alii legunt Vettie-
num, quod ſiniſtræ manus digitos ſibi, ne militaret bello Italico,
amputaſſet, publicatis omnibus bonis, a ſenatu æternis vinculis
puniendum adiudicatum. Tempore Amulii Latinorum regis,
qui præceſſit Romulum, carcerem fuiſſe in pœnam perpetuum
colligitur quoque ex Dionyſ. Halicarnaſſæo, in 1. Antiq. qui de
Ilia ſcribens ait, *Sunt qui confeſtim eam necatam puellam tradant,
nec deſunt qui malint coniectam in occultum carcerem eumque per-
petuum: vnde necatam eſſe vulgo traditum eſt.* Tempore Marii
non vita, ſed mors in beneficio erat poſita, *Valer. Max. lib. 6. c. 8.
dum agit de quodam ſeruo Caii Marii.* eratq; vita morte acerbior.
Apollonius Tyaneus, *Philo lib. 1. de vita Apollonii,* conſultus a re-
ge Babyloniæ de pœna imponenda eunucho, qui deprehenſus
fuerat vna cum regiis pellicib. cubans, nihil ſtatuendum amplius
cenſuit, quam vt viueret: nec veniæ cauſſa, ſed ſupplicii quod ipſum
ſi vixiſſet comitaretur. *Si enim,* inquit, *in vita permanſerit, o Rex,*
*difficilia & toleratu aſpera multa feret, nec cibo nec potu vtens, nec
ſpectaculis, quæ te tuoſque delectant fruens: ſaliet inſuper in eo cor fre-
quenter, e ſomno excitabitur. Quis igitur ſic viuenti morbus non ade-
rit? quæue peſtis viſcera non laniabit? Quod ſi non nimiũ vitæ amator
ſit, ipſe te ſæpius rogabit, o rex, vt ſe interficias, aut ſibi ipſe mortẽ con-
ſciſcet, præſentem diem deplorans, quod non ſtatim ſibi mori contige-
rit.* Seuerianus cum tanquam ſuſpectus: iuſſus fuiſſet ab Adria-
no Imperatore occidi, priuſquam iugularetur ignem popoſcit,
atque incenſo thure, *Vos,* inquit, *o dii teſtor, me nihil mali commi-
ſiſſe. Adriano tantum hoc imprecor, vt cum mori cupiet, non poſſit.* Et
ita contigit pro grauiſſima pœna, *Xiph. ex Dione in Adriano.* Sic
Nero ſe occidendo latitans cum noluiſſet eum libertus rogatus
occidere; mœſtiſſimus dixit, *Ego nec amicum nec inimicum habeo,
idem in Nerone.* Hoc & conqueſtus, quod non poſſet mori Mi-
thridates, *Dio. Caſſ. lib. 37. hiſt. Rom.* præ ſenectute non valens ſi-
bi vulnus lethale figere, nec veneno poſſet offendi, cum perpe-
tuo fuiſſet antidotis nutritus. Inter pœnas Iulius Pollux *lib. 8. O-
nomaſt.* annumerat & carceres vt ſtigmata & columnam. Et E-
manuel Comnenus, *lib. 1. Oriental. iur. in 8. conſtit. Comneni, titul.*
περὶ φονέων ἑκουσίων, *de homicid. voluntatis,* Orientis Cæſar, eũ qui
homicidium ſpõte & præmeditate perpetrauerit, cuſtodiæ per-
petuæ adiudicat. ¶ Fuiſſe † & ſpeluncam, in quam coniiciebãtur 11
malefici apud Spartiatas teſtatur Thucydides, in 1. dum ait, καὶ
αὐτὸν ἐμέλλησαν μὲν ἐς τὸν καιάδαν, ὅπερ τοὺς κακούργους ἐμβάλλειν εἰώθα-
σιν, ἔπειτα ἔδοξε πλησίον που κατορύξαι. Vbi Scholiaſtes dixit: καιάδαν
fuiſſe τόπον ὀρωγυσμένον ἐν λακωνικῇ, ὅπου τοὺς κακούργους εἰώθασι ῥιπτεῖν, ſci.
Cæadas eſſe locum quendam apud Lacedæmonios, in quem ſo-
lebant ſontes coniicere. Et vbi ſecundum Alexandrum ab Ale-
xandro, *lib. 3. Genial. dier. c. 5.* damnati cogebantur mortẽ oppe-
tere. Meminit & Pauſanias, *in Meſſeniacis,* de eo, ἔγνωσαν οἱ Λακε-
δαιμόνιοι ῥίψαι πάντας ἐς τὸν καιάδαν. Nam & καίατα Heſiocho ſunt
ὀρύγματα. Sicut & legimus Athenis καιάδας fuiſſe βάραθρον: erat
quippe τόπος βαθὺς ὅπου οἱ κακοῦργοι ἀνεβάλλοντο. Et Suidas teſtatur
Cæadas apud Lacones, & Siculos, fuiſſe regiam cuſtodiam: a-
pud Perſas autem domicilium cinerib. plenum, & in Cæadam
coniectos maleficos. ¶ Et Athenis βάραθρον, barathrũ locus pro- 12
fundiſſimus anguſti oris, & fundo lato & cœnoſo, *Cal. Rhod. lib.
9. tit. 34.* in quem deturbabant ſontes morti addictos: certe locus
ſupplicii vere potius, quam carceris, niſi & ibi vita miſerior mor-
te, quibuſdam alimentorum ſubſidiis, ad mala patienda proro-
garetur, donec paulatim tabe reſolueretur. ¶ Similes † his Ro- 13
mæ ſcalæ Gemoniæ, ad quas corpora damnatorum impacto vn-
co trahebantur. Erant & alia genera carcerum, & loca diuerſa
illorum, quæ explicat Cœlius Rhodiginus, *idem lib. 17. ca. 8. & 9.*
Latomiæ erant etiã Syracuſani carceres, opus ingens, vt ait Cice-
ro *in prætura vrbana. actio. vlt.* magnificum regum ac tyranno-
rum, ex ſaxo in mirandam altitudinem depreſſum, & multorum
operis penitus exſciſſum. Nihil tam ſeptum vndique, nihil tam
tutum ad cuſtodias, nec fieri nec cogitari poteſt. Iſti carceres
hypogea, ſeu loca ſubterranea erant ex quibus exſciſſi erant la-
pides, vel eruta terra: erãt & ſaxifodinæ. Poſſumus & talia dicere
loca, quæ dicũtur, *Infernet,* Gallis, id eſt, inferiora loca: qualia &
fuiſſe Romæ quoque colligere licet ex noſtrorum Iuriſconſul-
torum reſponſis, quæ de illis meminerunt, *l. ſuccurritur, ex quib.
cauſ. maio. P. l. 1. §. fin. de alea luſu & aleato in P.* Decas erat etiam
apud Lacedæmones in carcere locus, in quo morte damnatos
ſtrangulare conſuetudo fuit, vt auctor Plutarchus, in vit. Ægid.
¶ Et † ex iſtis omnibus neceſſarium eſt colligamus diſtinctio- 14
nem carcerum, ſecundum Platonis ſententiam, *lib. 10. de Legibus
circa finem,* alios eſſe ad detentionem tantum, alios ad caſtigatio-
nem, alios ad ſupplicium. Verba eius ſunt. *Delati magiſtratibus
& condemnati rei omnes carceribus contineantur. Tres vero ſint in ci-
uitate carceres, vnus pluribus communis in foro rerum venalium, vt
multi ne fugiant cuſtodiantur. Alter vbi cœtus eorum ſit, qui nocte
congregantur, correctionis nomine appellatus. Tertius in media regio-
ne, vbi quam maxime deſertus ſylueſtriſque locus eſt, ſupplicii nomi-
ne notatus.*

¶ Ad † cuſtodiam ſolum deputati leuiori cuſtodia & mole- 15
ſtia feruntur, hiſque ſolent debitores contumaces concludi, qui
pedes habent puluerosos, vt dicitur, quos licet ea ratione credi-
toribus apprehendere propria auctoritate, & retinere, *l. ait præ-
tor, §. ſi debitorem quæ in fraud. cred. P.* & in carcerẽ trudere, do-
nec exſoluant vſque ad nouiſſimum quadrantem. Quod & iuris
antiqui iudicium eſſe videtur ex his, quæ apud D. Matthæum
ſcribuntur, c. 18. Et ex lege duodecim Tabularum, *Gell. li. 20. c. 1.*

eadem recepta olim, vt ſuo loco dicetur, Deo fauente. Si contumaces enim non ſunt, nec malæ fidei, non licet in carcerem ducere, ob æſque aut debitum etiam fiſcale, perſonę moleſtiam inferre, iure ciuili quo vtimur, *l. nemo carcerem, de exacto. tribu. libr. 10. C. tit. 19.* Idipſum & apud Athenienſes obtinuit, vt ex Plutarcho, *in vit. decem orato.* liquet, *Cum publicanus,* inquit, *manum in Xenocratem philoſophum inieciſſet, cumq; in carcerē traheret tributi non ſoluti nomine, liberauit eū Lycurgus: quia omnino duci quemquam hac de cauſſa non oportuit. ſed & quia tantū tamque eximium virum minime omniū duci oportuit, ipſumq; exactorem vltra quam oporteret importunum iniurioſumque in carcerem coniici iuſſit.*

16 ¶ Et † hæc maxime vera in mulieribus, quæ pro nulla cauſſa pecuniaria carcere concludi poſſunt, *auth. hodie, de cuſtod. reor. auth. ſed hodie, de offic. diuer. iud. C. §. neceſſarium, vt null. lice. habe. loc. ſerua.* pro crimine tamen poſſunt, tamen in loco ſeparato

17 a carcere virorum, *l. 3. de cuſto. reor. C.* ¶ Iure † tamen Gallico, & pro debito aliquem incarcerari poſſe receptum eſt, ſi ſe carceribus obligauerit qui mutuatur, *Pet. Iacobus, in praxi. tit. de ceſſio. bono. in fi. Iaco. Pet. de Ferrar. in tit. de exſec. ſent. in ſua praxi. Doct. in l. ob æs alienum. C. de ſolut.* Atque hodie recepta, validaque pactio, qua clericus etiam ad carceres iudicis laici ſe obligauerit, contra rationem ca. ſi diligenti, de foro compet. apud Gregor. Inuitumque detrudi in carcerem poſſe, contra præſcriptum in c. ex reſcripto, de iureiur. & contra ſententiam Panormitani inbi traditam, contraque ea, quæ tradit Ioannes Faber in §. fin. de actio. vt notat iudicatum fuiſſe in curia Pariſienſi ſuprema 20. Nouembris 1550. P. Caſtalius, *in leg. alia cauſſa, §. eleganter, ſol. mat.* In hoc carcere quoque capti ob crimen, ante quam peragantur rei, poſſunt concludi: ſed poſtmodum, ſi criminis aliqua videatur ſuboriri probatio, in alium carcerem transferuntur tutiorem, vel duriorem inter reos cuſtodiendi, iniectis ſi opus eſt

18 vinculis. ¶ Vulgo † enim diffamatus, vt tradit Angelus, *in leg. ſi longius, §. ſi filius, de iud. in P.* de crimine, incarcerari poteſt antequam proceſſus inquiſitionis inſtruatur, & poſt captionem plenior fit inquiſitio. Communis hæc reorum habitatio, niſi ſi de ſociis ſceleris vnius fuerit ſuſpicio: quo caſu cuſtodia horum ſeparatur, ne colludendo inter ſe aliquas fallacias, falſaſque rationes excuſandi delicti commentari machinarive poſſint. Atque ideo ſeparandos iuſſit Carolus 5. Imperator in conſtitutione, de capitalibus cauſſis edita art. 11. *hanc ex ſermo. Germ. conſtitutio. in Latinum conuertit Iuſtin. Goblerus.*

19 ¶ Carcer † caſtigationis, ſeu admonitionis leuioris eſt, in quem detruduntur temporali quadam pœna leuiorum criminum rei, vt reſipiſcant: huiuſmodi carceres profundi, obſcuri, ibi vincula nerui, compedes, in quos aleatores, *Vlpian. l. 1. §. fi. de aleæ luſu & aleat. lib. 11. P. tit. 5.* blaſphemi, contumaces parentibus, & his ſimiles ſolent mitti, ieiunio ad modicum tempus ſociato, vel pane ſolo caſeario, & aqua præbitis. Hunc carcerem primus ad terrorem ædificauit Romæ Ancus Martius 4. rex Romanorum, vt ſcribunt Liuius in 1. & Plin. *de vir. illuſtri.* Tribuit hoc tamen Tarquinio Superbo inuentum Eutropius, *libr. 1. de geſt. Romano.* ſicuti & inuentionem fuſtium, vinculorum, latu-

20 miarum, catenarum, exſilii, & metalli. ¶ Hinc † dicimus ſecundum quoſdam belitrones ſeu *beliſtres,* quaſi barathrones, homines nihili, deſpicatos, dignos qui in barathrum ponantur. Sicut ait Lucretius,

*Aufer ab hinc lacrymas barathro, compeſce querelas.*

21 ¶ Etſi † placeret potius *blitres* trahi a blito herba nimiū molli. Ius & poteſtas iſtius carceris, qui ad pœnā eſt, imperii eſt, vt notant Alexander & Barto. *num. 8. in l. 3. de iuriſdict. om. iud.* Ideo non conceditur ciuilibus magiſtratibus, *l. ea quæ, ad municip. in P. §. nullum, de defenſo. ciuit. in Auth.* Cum tamen, ſi ad cuſtodiam ſint tantum carceres, minoribus quoque concedantur, quia iu-

22 riſdictionis ſunt, *§. & iudicare, eod.* ¶ Inde † non modicum beneficium exiſtimarunt antiqui, pietatis & religionis cauſſa ſoluere vinctos a carcere & veluti pœnam eis illam leuare & remittere, ſi grauiorum criminum rei non ſint, in die Paſchæ, *l. nemo, C. de epiſc. audie.* quo Dominus noſter Ieſus Chriſtus reſurrexit, ſolutis mortis vinculis. Quemadmodum & apud Iudæos, in memoriam liberationis captiuitatis Ægyptiacę, tēpore quo ſuum Phaſe celebrabant, ſoluebant ex reis etiam maximis vnum a carcere & pœnam eidem remittebant, *D. Ioan. Euang. cap. 18. & D. Matth. c. 27.* Et apud Theſſalos die feſto quem Pelorium dicebant, vincti de carcere dimittebantur, & in conuiuium admittebantur, ob memoriam beneficii a Peloro quodam recepti, ſicut narrat Athenæus *lib. 14. Dipn. c. 17.* poſt Bathonem Sinopæum, *in Orat. de Theſſal.* Solent & hodie in die Paſchæ quoque, vel die ſacroſancta veneris præcedente, a principe indulgentiæ, & abolitiones criminum reis concedi. Et dum is etiam aliquas perluſtrat ciuitates carcere detētis pro iucundo eius aduentu veniam delictorum impartitur.

¶ Atque † Licinius Rufinus Iuriſconſultus reſpondit, ſi vi- 23
ctum aut ſtratum inferri in carcerem quis iudicato non patiatur, vtilem in eum pœnalem actionem dandam eſſe: vel ſecundum alios iniuriarum actionem in eum dari poſſe, *l. ſi victum 34. de re iudic. lib. 42. P. tit. 1.* ¶ Carceres † quoque in ſupplicium 24
dati ſunt, iure ciuili & pontificio: in quo & perpetui. Nam receptum eſt, ſeruum pœna perpetuorum vinculorum damnari Romano iure poſſe, *l. ſeruus ſub pœna 10. de pœn. in P.* liberos autem minime, *l. incredibile 6. C. eod. Calliſtr. in l. mandatis 35. eod. tit. in P.* Iure pontificio & perpetuus & temporalis ob ſcelera, in eccleſiaſtici fori homines, conceſſus carcer, *c. quamuis, de pœn. in 6. ca. vni. eod. in Extra. comm. Felin. in ca. qualiter, in 2. §. fin. num. 20. de accuſatio.* Quia ſemper eccleſia ſperat conuerſionem & pœnitentiam delinquentium, nec vult cum principe ſuo Deo mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat, *Ezechiel. c. 18. c. hi qui, 3. q. 4. can. hi quibus 23. q. 8. §. 1. vt non luxuri. contr. natur. in Auth. col. 6.* Neque ſupplicium mortis temporalis eccleſia infligit, neque iudicium infert ſanguinis, *ca. in archiepiſcopatu, de rapto. c. clericis. & c. ſententiam ſanguinis, ne cle. vel mona. ſec. negot. ſe immiſ. lib. 3. tit. 50. ap. Gregor.* Ideo graue ſcelus perpetuo carcere plectit, ad agendam pœnitentiam reum includendo, pane doloris & aquæ anguſtiæ ſuſtentandum, vt commiſſa defleat, & deflenda vlterius non committat, *ca. nouimus, c. 27. §. fin. de verbor. ſign. ap. Gregor.*

¶ Notant † & interpretes, *notat Innocen. in ca. qualiter, in 2. de* 25
*accuſa. in col. pen. verſi. & ſunt.* hanc pœnā carceris perpetui, pœnæ damnationis in metallum impoſitæ a iure ciuili æquari. Et Panormitanus tradit, quod vbi pro delicto imponitur pœna mortis iure ciuili, tunc iure pontificio depoſitus detruditur in carcerem perpetuum, *Panorm. in ca. tuæ, de pœn. apud Gregor. vide pugnantia apud Ioan. Bern. Diaz, in pract. crim. cano. ca. 129.* nam in hoc vitæ parcitur. Et idcirco carcer ille non debet eſſe ita horridus, vt intra paucos dies, vel aeris defectu, vel pedore ſeu cœno, vel cibi defectu, coniectus moriatur, *Pan. in ca. a nobis, de apoſ.* alioquin epiſcopus, vel iudex talem decernens, irregularis fit, *Bal. in l. pen. C. ad l. Aquil. Card. in Cle. 1. de pœn. & remiſ. q. 7. Fel. in c. qualiter, in 2. §. fi. nu. 25. de accuſ.* Quamuis enim hæc pœna ſimilis ſit morti tamē mortis, naturalis non eſt, ſed ciuilis, vt nec qui ea damnantur teſtari, neque capere ex teſtamento poſſint, *Bal. conſi. 448. 1. vol. incip. quæritur in primis.* Demto tamen iure conſuetudinario, quo alicubi, vt Caſtellæ, & Legionis regni, quorū legibus incola morte ciuili vel naturali damnatus ex crimine, in quo non eſt confiſcatio poteſt ante mortem naturalem diſponere & teſtari, *in legi. Tauri editis 4.*

## De Pœnis iuris ciuilis. Cap. 34.

1 *Pœna iuris ciuilis in genere 8.*
*Non capitales quæ, & damni pœna quid.*
2 *Pœnæ capitales quæ.*

IVs † ciuile Romanorum vtitur, vt plerunque pœnis octo in 1
genere, ad quas aliæ referri poſſunt: illæ ſunt, damnum, vincula, verbera, talio, ignominia, exſilium, ſeruitus & mors. Sed & alia diuiſione, capitalibus & non capitalibus. Non capitales dicemus eas, quæ damni ſunt, vel bonorum, vel corporis: bonorum, vt pœna quæ pro furto imponitur, & pro ſimilibus criminibus, dupli, tripli, quadrupli. *ſic enim pro his interpretatur damnum glo. in l. ſi pro furto in P. & in c. quod errauerat, 23. q. 5.* dicetur & mulcta pecuniaria, & publicatio bonorum, de quib. ſupra dictum eſt. Damnum corporis habentes ſunt, amputationes membrorum, vincula, fuſtium ictus, verbera, incarceratio temporalis, relegatio ad tempus, in perpetuum, in inſulam, ſtigmatum inuſtio. Item non capitales, ademtio dignitatis, infamia in-
terdictio, exſilium. ¶ Capitales, † veluti ad furcas damnatio, viui 2
concrematio, capitis amputatio, & alia genera mortis naturalis ſupplicio illata: quibus accedunt deportatio, ignis & aquæ interdictio, in metallum & opus publicum damnatio, ſeruitutis impoſitio. Quæ omnia fere explicata ſunt, quibuſdam exceptis de quibus paucis agemus. Et primum de ſtigmatum inuſtione.

## De Stigmatum inuſtione. Cap. 35.

1 *Stigmata delinquentibus quare adiiciantur.*
2 *Aquæductuum cuſtodes, hydrophylaces.*
*Stigmata corporibus aliorum quam delinquentiũ quare & quomodo impreſſa vel inſcripta. eod.*
3 *Serui olim notis, vt plerunque ſignati.*
*Et Stychi fere omnes quare dicantur.*
4 *Frons an notari ſtigmate debeat.*

1 STigmata † notæ ſunt, quæ inuruntur delinquentibus, vt conſtet per ſigna ea reos fuiſſe criminum. Stigmata namque per ſe ſignum referunt, quæ nec perpetuo ob crimina, ſed & ob alia
2 iudicanda inurebantur. ¶ Veluti † hydrophylaces, aquarum videlicet publici cuſtodes, aquæductuum vrbis regiæ, in manibus ſigno imperatoris notabantur, vt manifeſti eſſent omnibus, & ita ab vſu, cui deputabantur, nõ auellerentur, nec angariarum, vel operarum nomine tenerentur, *l. pen. de aquæduct. libr. 11. C. tit. 42.* In fabricenſibus quoque ſtatutum ab Arcadio Cæſare, illorum brachiis ſtigma, hoc eſt, notam publicam inſigi, *l. 3. de fabricenſ. lib. 11. C. tit. 9.* vt latitãtes hoc modo ſalte dignoſci poſſent. Scribit Plinius, *lib. 22. c. 1.* barbarorum fœminas mareſque etiam apud Dacos, & Sarmatas, corpora ſua inſcribere, hoc eſt, ſigna notaſq; ſuis corporibus imprimere, quo venuſtiores appareant.
3 ¶ Apud † Hebræos, ſi Hebræus ſeruiuiſſet ſex annis Hebræo, in ſeptimo anno dimitti liber debebat, & in teſtimonium eius, auris fibula erat perforanda. *Exod. 21.* vt ſtigmate illo agnoſceretur. Stigmata ita dixit D. Paulus, *ad Galat. ca. 6. verſ. 17.* paſſiones, vel melius inſignia. *De cetero nemo mihi moleſtus ſit. Ego enim ſtigmata domini noſtri Ieſu in corpore meo porto.* Solebant & ſerui notis antiquitus pungi, vel inuri, vt fugientes internoſcerentur, vt ex Artemidoro conſtat *lib. 1. Onirocr.* dum ait, σίζονται παρὰ Θρᾳξὶν οἱ εὐγενεῖς παῖδες, καὶ παρὰ Γέταις δοῦλοι. Et Plutarchus in Nicia de Athenienſibus in Sicilia captis loquens, καὶ τούτους ὡς οἰκέτας ἐπώλουν, σίζοντες ἵππον εἰς τὸ μέτωπον, id eſt, *& hos vt ſeruos vendiderunt, nota equi frontem inurentes.* Eiuſque rei meminit & Plato libr. 9 de legib. Vnde & Iulius Pollux *lib. 3. Onomaſt. c.* 8. dicit, quod ſeruorum, οἱ δὲ σιζόμενοι σιγματίαι καὶ σίγωνες. Et frequenter apud Iuriſconſ. ſerui Stychi dicũtur. Refert Herodotus, lib. 7. quod barbari maiorem partem Thebanorum qui a Gręcis ad Xerxen deſciſcebant, regis iuſſu, ἔσιζον σίγματα βασιλήϊα, compungebãt vel inurebant per notas regias. Itẽ & ſignabantur notis captiui, & in aliquo ſcelere deprehẽſi Sic enim & meminit Plutarchus in Pericle, τοὺς αἰχμαλώτους τῶν Ἀθηναίων ἐνυβρίζοντες, ἔσιζον εἰς τὰ μέτωπα γλαῦκας. Vbi & indicat ſignũ & notã, quæ imprimebatur fuiſſe
4 Noctuam: locum autem frontem. ¶ Cum † tamen hodie receptum Romano iure ſit, non inuri nota faciem oportere, *l. ſi quis in metallum 17. C. de pœn.* quod ea ad imaginem pulcritudinis cœleſtis fuerit figurata. Antiquitus tamen contra receptum, & in Gallia in fronte, lilii candentis nota inuri quibuſdam reis ſolet. Facit quod apud Athenæum; libr. 6. Diphylus ait de eo, qui comam nutriebat, dicente Deo ſe eam conſecraſſe, οὐ διὰ τοῦ τόγε, ἀλλ᾽ ἐσιγμένος, περὶ τοῦ μετώπου παραπέτασμ᾽ αὐτὴν ἔχει, *non ideo, ſed vt obuelet notam, quæ eius fronti inuſta eſt.* Admittit & ius pontificium hanc pœnam, atque clericis adulterantibus ſigillum regium, iis ab ordinibus deiectis, inuri characterem aliquem ſtatuit in ſignum maleficii, *c. 3. de falſi. lib. 2. Decret. titul. 20.* nempe per iudicem temporalis iuriſdictionis, *glo. in d. c. 3.* cum eccleſia non inferat iudicium ſanguinis, vt ſæpe monui. *c. ſententiam, ne cler. vel monaſt. in archiepiſc. de rapto. cum ſimil.* Theophilus imperator iuſſit ſtigmata inuri Theophani & Theodoro in facie, ob ea quæ refert Zonaras, *in hiſtoria*, vt a ceteris diſcernerentur. Alludit Martia. *lib. 12. Epigram. Epigram.* 62. ad Ligurtam, *frons hæc ſtigmate non meo notanda eſt.*

## De Damnatione in metallum, & in opus aliud publicum, & de ſeruis pœnæ, Cap. 36.

1 *In Metallum, & in opus metalli damnari, quæ pœna.*
*Serui pœnæ qui fiebant. eod.*
2 *Metalli, operis metalli, operis publici, & miniſterii metalli differentia.*
3 *Decuriones, vel filii eorum in metallum damnari nequeunt.*

1 EſT pœna † in metallum damnari, & in miniſterium metalli, quibus ſerui pœnæ damnati efficiebantur, *Hermog. l. in metallum 36. de pœn. in P. l. aut damnum, 8. §. fin. & l. capitalium, & l. quidam ſunt ſerui, 17. eod. tit.* iure aũt nouellarũ nemo bene natus, ſupplicio ſeruus fit, §. *quod aũt, de nupt. in Auth. gl. in l. qui vltimo ſupplicio, de pœn. in P.* Ea nota differunt etiam in metallũ damnati, & in opus publicum, quod illi ſerui pœnæ fierent, iſti tantum apolides, amittentes ciuitatẽ & retinentes libertatem, *d. l. quidam ſunt ſerui, eod.* ſimiles deportatis, *l. 1. C. de pœn.* ¶ Metallorum opus † publicum quidem eſt, ſed grauius & durius, quam alia o- 2
pera publica: ideo eius legis nõ ſunt. Ad opus metalli pertinent, damnari ad calcariam, vbi calx coquenda vel excauanda, & ad ſulphurariam, *l. aut damnum 8, §. in calcariam, de pœn. P.* ad fodinam ſulphuris. Vlpianus *d. l. aut damnum, §. inter eos, & §. in miniſterium, eod.* inter pœnam metalli, operis metalli, & miniſterii metallicorum, differentiam tantum ponit in vinculis: quod qui in metallum damnantur, grauioribus premuntur: qui in opus metalli, leuioribus: in miniſterium autem illi illæve damnãtur, qui iſtis ſeruiunt. In miniſteriũ metallorum ſunt perſonæ, quæ vt ſeruiant metallicis, in tempus vel in perpetuum adiudicantur, in quod & fœminæ damnari ſolebant: vt in ſalinas, id eſt, ad præſtandas operas ſalinis, *dict. leg. aut damnum, §. in miniſterium.* In metallum, in perpetuũ damnati, ſi per decenniũ ſeruierint, & valetudine vel ætatis infirmitate inutiles operi eſſe cœperint, dimitti poſſunt a præſide vel principe, ſi ex proximis eorum quidam pro illis impetrent, *Modeſt. in l. in metallum damnati 22. de pœn. in P. l. ſed & hæ, de procur. in P.* Et ita reſtituuntur in libertatem, vt neque, ſi ſerui ante eſſent, quam in metallum damnati, redeant in domini poteſtatem, *l. aut damnum, §. fin. de pœn. in P.* Pertinebat namque metalli ſupplicium tam ad perſonas liberas, quam ad ſeruiles, *leg. metalli ſupplicium, 11. Cod. de pœn.* cum tamen ſerui in opus aliud publicum, perpetuũ, vel temporale dari non poſſent, *Papin. l. ſeruus in opus 34. de pœn. in P.* Putarem & gratiam eandem fieri per principem facile poſſe damnatis in perpetuum ad remos, vt poſt decennium, vel ſi inutiles labori ſint, reuocari reſcripto poſſint: videndum tamen ne horum liberatio in perniciem reipublicæ recidat, ſi eius generis ſint remiges, qui ſoluti nocere poſſint. Hæc † pœna metalli vel mini- 3
ſterii eius non imponebatur decurionibus, vel decurionis filiabus, *l. decurionum, 3. & l. ſi mater, 9. eod. C.*

## De aliis Pœnarum generibus. Cap. 37.

1 *Pœnarum varia genera iuris ciuilis.*
2 *Studendi facultas ademta in pœnam.*
3 *Memoriæ damnatio qualis eſt pœna.*
*Heroſtratus templum Dianæ Epheſiæ incendit. eod.*
4 *Plumbo liquido os claudi pœna lenonis.*
5 *Canem ſuper humeros ferre grauiſſima pœna* Wormaciæ.
6 *Xylagogion, &* L'eſtrapade, *quæ pœnæ.*
7 *Streble pœna quæ nautica.*
8 *Catapontiſmos pœna demerſionis in aquam.*

ALia genera † pœnarum referuntur a Conſtantino Cæſare: 1
in leg. 1. de emend. ſeruo. libr. 9. titul. 14. quæ ibi videto.
¶ Pro † noua pœna ademtum ſtudendi ſolatium a Tiberio, *Sue- 2
ton. Tranq. in Tiber. cap. 61.* Sunt enim nobis literarum ſtudia pro ſolatio in tempore aduerſitatis, vt ait Cicero *pro Arch. poe.* Et Plinius hoc dixit dulce otium & regale, excedens omnem negotiorum curam. *Plinius Iunior, lib. 1. & 7. Epiſtol.* Sic enim per conſolationem ſcripturarum, potiſſimum diuinarũ, pacem habemus, *ad Roman. 15. & 1. Machab. cap. 12.* Et cum maris imperium tenerent Mitylenenſes, ſociis, qui deſciuerunt hanc pœnam impoſuerunt, vt liberos ſuos non docerent literas, nec artes liberales, omnium ſuppliciorum hoc grauiſſimum iudicantes in inſcitia & ignorantia liberalium artium vitam tranſigere, *Ælian. in l. 2. de var. hiſt.*

¶ Eſt † & damnatio quædam memoriæ delinquentium, cum 3
etiam poſt mortem ita ſupplicium ſtatuitur reo: ne quis eius mentionem faciat, vel nominet, vel collaudet. Sic iudices damnationi eius, qui deprehenſus confeſſuſve eſt, Dianæ Epheſiæ templum, tota quod Aſia ſtruente quadraginta annis conſtructum, incendere paraſſet, vt nomen ſuum per totum orbem diffunderetur, addi cenſuerunt, vt decreto memoria teterrimi hominis aboleretur, neque fas eſſet eum loquendo, vel ſcribendo nominare, vt refert Valerius Maximus, lib. 8. ca. 15. Etſi efficere non potuerint Epheſii, vt nomen ad nos non veniret: dictus

namque Heroſtratus, & id notum nomen, vt auctor Strabo lib.
14. Domitiano mortuo iuſſit ſenatus clypeos, & imagines co-
ram detrahi, & ibidem ſolo affigi: nouiſſime eradendos, vbique
titulos, abolendamque omnem memoriam decernens, *Sueton.
in Domini. c. fin.* In iure generaliter, quorum damnatur memo-
ria, eorum crimen morte non intercidit, *l. 2. de teſtam. manum. li.
7. C. tit. 2.* cuius generis plures ſpecies ſunt, *vide, in l. ex iudicio-
rum publicorum, de accuſat. P. iuncta glo.* Plutarchus alicubi ait le-
gem exſtare apud Græcos, per quam iuberetur libros ſceleſto-
rum hominum, etiam bonos e medio tolli, vt auctorum memo-
ria deleretur, *Meminit Ficinus, annota. in Cratilum Plato.* vt &
de libris & memoria hęreticorum reſcripſerunt Cæſares, *leg. da-*
4 *mnato 6. de hæret. lib. 1. C. tit. 8.* ¶ Noua † pœna & inuſitata ob cri-
minis deteſtationem iuſſit & Conſtantinus Cæſar lenoni, qui
perſuaſit raptori conſentire, liquido plumbo meatus oris claudi,
*l. 1. de rapto virg. gl. in C. Theodoſ.* Meminit eius pœnæ, ac exſiſten-
tis in vſu Horatius, *lib. 1. Carmin. Ode. 35.*

*——Nec ſeuerus*
*Vncus abeſt, liquidumue plumbum.*

5 ¶ Apud † Germanos Moguntiæ lex patria & probroſa pœ-
nam acerrimam inter illos ſtatuit, cogi viuum canem humeris
per vrbem Wormaciam, vel aliam ferre, vtraque manu priori-
bus canis pedibus apprehenſis, *Henricus Pantaleon, in Proſopo-*
6 *gra. part. 2. in Frederico Barbaroſſa.* ¶ In legibus † Nauticis, *in legi.
Rhodienſ. lege 3.* pro furto nautæ eſt pœna ξυλαγώγιον, cum quis
multoties ſubleuatus poſteriori parte corporis ad malum nauis,
vel aliud lignum adigitur. Forſan & ξυλαγώγιον dici poterit ge-
7 nus ſupplicii, quod noſtris dicitur, *L'eſtrapade.* ¶ Apud † nau-
tas etiam Oceani Germanici, ξυλαγώγιον freques̃. Vt & illis aliud
tormentum familiare, dictum στρέβλη, nauticum videlicet inſtru-
mentum ligneum, cuius labris conſtringuntur plancæ in com-
pingenda naue adactis cuneis ligneis. Et ita Eccleſiaſticus acci-
pit, *cap. 33.* οἰκέτῃ κακούργῳ στρέβλαι καὶ βάσανοι, id eſt, *ſeruo maleuolo*
8 *tormenta, & compedes.* ¶ Et † pro prælo accipitur. Eſt & καλαποντισμὸς, hodie quoque frequens Tholoſæ, in blaſphemis punien-
dis, dum cauea incluſi ſæpius aquæ immerguntur: vt apud nau-
tas, cũ qui funi alligatus in mare proiicitur, & ſubtus nauim ra-
ptatus, atque ſublatus denuo ſubmergitur.

## De Lictoribus, & Carnificibus.
## Cap. 38.

1 *Lictorum materia vbi tractetur.*
*Et quis eorum faſces primus inuenerit.*
*Aleba quid, eod.*
2 *Lictori quot ſuberant milites.*
Bourreau *Gallis, vnde ducenda dictio. eod.*
3 *Principi adſtantes necabant ex iuſſu regis homines.*
4 *Carnificis officium ſubibant olim accuſatores.*
5 *Carnificis officium maxime vile.*
6 *An hoc non carnificem cogat iudex aliquem exſequi.*
*Carnifices cur exoſi. eod.*
7 *Carnifex non debet impediri a populo, quominus exſequatur of-
ficium.*

1 QVamuis † de lictoribus dixerimus in perſonis adminiſtris
iudicum, & infra etiam aliqua, *libr. 31. cap. 28.* tamen pauca
hic etiam ſubiiciemus alia. Faſces duodecim primos Ianus dedit
in Olympo Etruriæ ad continendas recentes colonias in aureo
officio: & ad terrendos & caſtigãdos malos vt ait Fabius Pictor,
*libr. de aureo ſeculo.* Aleba faſces hi ab eo dicti, & per contractio-
nem albanam teſte D. Hieronymo, Al, ſignificat mixtionem,
Eba, vero aceruum rerum & virgarum. Innuit hoc Ouidius in
Faſt. dum ait, hanc alebam dediſſe Ianũ Cranæ amaſiæ, in præ-
mium virginitatis cum iure cardinis.

*Ius pro concubitu noſtro tibi cardinis eſto,*
*Hoc pretium poſitæ virginitatis habe.*
*Sic fatus virgam, qua ſtyges pellere poſſet.*
*A foribus noxas (hæc erat Alba) dedit.*

2 ¶ Lictori † vnicuique aderant, & ſuberant adoleſcentes in-
genui & armati 24, vt ait Cato, *in fragmen. de originib.* Vnde & ita
erant ſub 12. lictoribus prætoriani milites trecenti, quorũ prin-
ceps dicebatur Etruſca lingua, *Barrakel*, id eſt, lictor, percuſſor:
illud certe a verbo Hebræo ברק fulminauit, percuſſit. Vnde &
D. Hieronymus Barate regem percuſſorem interpretatur. Et in-
de nõ dubito Tholoſę, *Borrel*, & in Gallia *Bourreau*, dici lictorem
& Carnificem. Compertum etiam eſt, principes ſępe vindictam
& exſecutionem pœnæ commiſiſſe iuuenibus qui ſibi adſtabãt.
¶ Sic † Saul iuſſit emiſſariis ſuis, qui circumdabant eum, *conuer-* 3
*timini & interficite ſacerdotes domini: eo quod Dauidem fugientem
recepiſſent: quo tempore tamen noluerunt ſerui regis extendere manus
ſuas ad ſacerdotes Domini, præterquã Doech Idumæus, cui Saul iuſ-
ſit quoque, 1. Reg. c. 22.* Et rurſum de Dauide pro eo, qui occide-
rat Saulem, dictum, *vocauit vnum de pueris ſuis, & ait, accedens ir-
rue in eum qui percuſſit illum, & mortuus eſt, 2. Reg. c. 1.* Idem Da-
uid præcepit pueris ſuis, & occiderunt Rechab, & Banaa, prin-
cipes latronum, quod occidiſſent proditorie filium Saulis mi-
phiboſeth ſuper lectum ſuum, *2. Reg. 4.* Miſit & Salomon ma-
num Banaiæ filii Iocadiæ, qui interfecit Adomam, *3. Reg. c. 2.* Et
per eundem quoque iuſſit occidi Semei, eod. Quem putant re-
ges Perſarum interficiendum: zona comprehenſum apparito-
ribus regiis interficiendum tradunt, vt Charidemus a Dario illis
datus iniuſte puniendus, *Diod. Sic. lib. 19. hiſt. in 3 anno. Alex.*
¶ Olim † qui accuſabant reos, ipſi quoque lapidabant, vt ex 4
ſententia Domini de accuſatione adulteræ notatur ibi, *Quis ve-
ſtrum ſine peccato eſt, &c. D. Ioan. Euang. c. 8.* ¶ Hodie † carnificis 5
& lictoris munus maxime vile, quantumuis neceſſarium, eique
deputantur, qui morte digni ſunt ob ſcelera. Quamobrem &
tradunt interpretes, eo deficiente, qui ſupplicia vltima deman-
det exſecutioni, pluribus captis reis pœnæ corporalis, poſſe iu-
dicem vnum illorum ea lege abſoluere, & liberum relinquere,
vt aliis ſupplicium inferat: poteſtque iudex aliquem ita conde-
mnare, vt ſit carnifex ciuitatis, vel pœnis exſequendis deputetur
ad tempus, vel in perpetuum, *Bart. in l. 2. de pub. iud. per l. aut da-
mnum, §. in calcariam cum ſeq. & l. capitalium, de pœn. in P.* Atque
ſi in perpetuum ad hoc officium damnatur, ſeruus pœnæ vide-
tur. ¶ Quod † ſi ex aliis, quam reis criminum velit iudex ad hoc 6
officiũ cogere, vix poteſt: & ſi capiat aliquem ſeruum, vel viliſſi-
mum mendicantẽ pro exſequenda iuſtitiæ pœna, debet illi ſol-
uere aureos quinque pro mercede, *Paris, de Puteo, in ſuo tracta. de
Syndico, in ver. maniuoltus.* Sunt enim exoſi vel natura ipſa huma-
na huiuſmodi homines, qui exſequuntur mortis etiam meritæ
ſupplicium: vtpote communis ſanguinis natura condolente hu-
mano interitu alterius, *l. vt vim. de iuſt. & iure.* vt plebs refugit
deſtructoris naturæ ſimilis conſortium, locumque vbi is ſit fu-
neſtum arbitratur. Vt Cicero funeſtari concionem lictoris ſeu
carnificis interuentu dicat, *Cic. pro Rabirio.* ¶ Atque † leui de
cauſſa qualibet inſurgendi in lictores arripit occaſiones. Quare 7
ſapienter Carolus Quintus Imperator, in conſtitutione de capi-
talibus iudiciis, cauit in hunc modum artic. 97. *fracto poſt ſenten-
tiam definitiuam bacillo iudicis, cumque lictor reum ad locum ſup-
plicii trahit, prætor palam ac publice exclamari denuntiarique adeo-
que magiſtratus atque poteſtatis nomine ſub capitali pœna iuberi fa-
ciat, lictorem nulla ex parte remorari aut impediri, etiamſi caſus in e-
uentu fuerit, nullas illi violentas manus inicci.* Qua ſanctione ob-
uiam itum eſt temeritati populi, qui ſæpe antea Saxoniæ licto-
rem, qui primo ictu a nece aberraret, ſaxis teliſque petebat, vt in
carnificina plerumque obrueret. Et ex Lubeci hiſtoria refert Iu-
ſtinus Goblerus, vno die quinque lictores in carnificina a popu-
lo obrutos. Statuerunt & Arcadius & Honorius Cæſares non
licere alicui, nec etiam monachis aut clericis, damnatos ſuppli-
cio e manibus lictorum eripere, aut pergentes ad ſupplicium re-
tinere, aut defendere datis mãdatis iudicibus, ne id fieri permit-
tant, alioquin permittentibus, vel non vindicantibus pœna tri-
ginta librarum auri, vel capitali indicta. Relicta tamen licentia
cuique pro damnato appellandi, *l. addictos 7. C. de epiſcop. aud. leg.
addictos 19. de appella. lib. 7. C. tit. 62.* Male enim ſe res haberet, ſi
auctoritate publica contemta, nocentes publico ſupplicio eri-
perentur, vt innuit in alia ſpecie, *l. fi. de malef. & Math. ca. cum
contra iuſſum ſit.* exempli cauſſa palam omnibus ſupplicii ſpecta-
culum proponi, vt recte etiam apud omnes fere gentes, publica
ſupplicia non fiant, niſi prius conuocato ſigno aliquo publico
populo ſicut apud nos tuba præcinit: apud Barros & in Auſtraſia
pulſatur campana publicorum negotiorum, & conuocando po-
lo deſtinata. Mos etiam Romanis priſcis ſeruatus, vt liquet ex
Cornelio Tacito, *libr. 2. annalium*, dum ſic ait, *In P. Martium
conſules extra portam exquilinam, cum claſſicum canere iuſſiſſent,
more priſco aduertere.* Claſſicum ibi pro tuba dixit, vt etiam apud
Ciceronem exponit Q. Aſconius.

DE